



V
B
J
C


Biblioteka Jagiellońska
stdr0002873

FASCINUS

A Luthero, Zuinglio, Calvino aliisqué Hæresiarchis Tot Animabus, Populis, Provinciis injectus:

Seu

FRAUS

Eorundem Hæresiarcharum Novâ, facili, & dilucidâ Methodo DETECTA

Per

[redacted] P. JOANNEM KWIATKIEWICZ, Societ. JESU [redacted].

Domus Professae Cracoviensis Soc. Jesu ad S. Barbarae

Typis MONASTERII OLIVENSIS, Anno Domini M DC LXXIII.



Illustrissimo Domino

D. STANISLAO JOANNI

In Jablonow

JABLONOWSKI

Palatino & Generali Russiæ, Suetcensi, Moscicensi, &c. &c. Gubernatori S. R. M. & Reipublicæ Chiliarchæ, &c. &c.

Auctor,

Quod solem videat hic libellus, Tuilli tenebris ac Umbratico situ interdicis, Illustrissime Domine. Thaumaturga est Mecænatum liberalitas, quæ noctes etiam in meridie ponit. Noctem

penè insudarant huic opusculo explosi hic pro modulo, Sectariorum errores; quos dum in lucem benefico censu protrahis, ne dolis patrocinetur latebra; & umbratile Volumen, & Veritatem inprimis in Sole defixisti. Debet ergo & Romana Veritas Tibi patrocinium; quam, post Patriam ferro toties assertam strenuè, contra stipendiarios Orci manipulos velut argenteis hastis muniisti, dum ærarium in asserendam calamo præloque effunderes. Hinc (ut non hodie primùm Tibi hostis in meta est, & Pæanem ubiq; offert) jam & Hæresis expectat à triaria manu vulnus, quod in ea salubriter errores perimat. Nam ne perimeret in plerisq;, Fascinus fecit, quem subdola primipilorum malignitas dolis obtenderat. Sed amoves illum, dum exilem hanc lucubrationem in publicum promoves, nec in tenebris tot illustres Regnorum Provincias versari pateris. Quæ si DEI munere in veritatis avitæ

(nam

(nam â Sacris Majorum dogmatibus de-ſcivêre) lucem evaſerint; Scient â quo hic radius Sole, quod nempè ab Oriente Roxo-lano per Te illis tandem affulſſerit.

Jaroslaviæ 19. Aug.
Anno 1672.

Illuſtrisſimæ Dominationis
Veſtræ

humillimus Servus

JOANNES KWIAT-
KIEWICZ, S. J.



Facultas Reverendi Patris Præpositi Provincialis Societatis JESU per Poloniam.

CUm opus, quod inſcribitur, Faſcinus à Luthero, Zuinglio, Calvino aliisq; hæreſiarchis tot Provinciis injectus, &c. à Joanne Kvviatkievvicz Societatis Noſtræ Sacerdote compoſitum, aliquot eiusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint; poteſtate mihi facta ab Admodum Reverendo Patre Noſtro Joanne Paulo Oliva Prædictæ Societatis Generali Præpoſito, facultatem concedo, ut typis mandetur, ſi iis, ad quos pertinet, ita videbitur. Cujus rei gratiâ has literas manu meâ formatas ſigilloq; munitas dedi. Leopoli 15. Novemb. Anno 1670.

Alexander Lorencovvic
manu propria.

Imprimatur

Fr: GEORGIUS MICHAEL Ciecholevvski Abb. Pelp Official. Gedanensis & per Pom. Generalis.



HOSTIBUS ROMANÆ FIDEI, proinde Et ſuæ Salutis Auctor veram Fidem, Salutem, ac inprimis Lucem de Cœlo.


ADeſte, quotquot e-ſtis ab Orthodoxa fide, ab Eccleſia Romano-Catholica alieni, Faſcinum à vobis tollere, auferre velamen ab oculis veſtrûm omnium, mihi propoſitum eſt, quod vobis veſtræ religionis

gionis authores, jurati vestræ salutis hostes per summam injuriam injecerunt. Fidem ab illis propinatam vobis arbitramini? Fraudem potius credite, in quam vos subdolâ suavitate induxerunt. Aperio vobis eorum fallacias, & obtentam dolis hostilibus larvam fideliter detego. Legite hæc, per æterna vos obtestor, legite, & quàm turpiter vobis illuserint, quàm perniciosè imposuerint Lutherus, Zuinglius, Calvinus, & alii novitiæ & commentitiæ fidei inventores, hinc facilè colligétis.

Clara hîc omnia; nec enim vos in tenebris ultrà esse velim: facilia; ne ullam excusationem

coram Iudice Deo habeat deinceps induratio ac in errore obstinatio, quem videre hic lippiens etiam posſit. Alii idem vobis gratiæ præſtiterunt in Materiis particularibus; ego univerſaliter vos ac veſtra impugno, nec tam venenatis [quos alii ſtrenuè obturârunt] rivulis hîc immoror, quàm fontibus. Utinam hi penitus exareſcant, ex quibus non unus derivatur ad inferos aquæductus! Vtinam exareſcant, qui vobis non vitam propinant, ſed animæ venena, ſimulqué vos in tot errorũ, ſimul in Orci barathrum præcipitant ac demergunt. Sic vobis omnia, ſic rivi & fontes errorum, ſic fon-

ſontium ex Acheronte primi deductores illudunt! Sic nihil ſine dolo vobis, nil ſine faſcino propinârunt. Sed moneo rurſum, hæc lege, & dolos ac faſcinum Tibi & quidem perenniter noxium evaſiſti.



Summa & Index capitum hujus libelli:

Graviter hæresiarchas suis Sectariis imposuisse,

I. Quia sui erroris sequacibus alium DEUM obtruserunt pro vero.

II. Quia eisdem obtruserunt alium Christum monstrosum & Chimæricum.

III. Quia eisdem abstulerunt veram Sacram Scripturam.

IV. Quia eisdem suppositititiam & falsam fidem obtruserunt.

V. Quia eisdem incredibilia, contradictoria, & absurdissima credenda & tenenda persvasêre.

VI. Quia illis omnia salutis æternæ consequendæ media abstulerunt.

VII. Quia

VII. Quia illis imposuerunt falsis & adspeciem tantùm alicubi apparentibus argumentis, in re nullis.

VIII. Quia illis fidem persvaserunt, quæ in summum Sectariorum dedecus redundat.

IX. Quia illis fidem Catholicam dissvaserunt, quam ipsimet toties fassi sunt esse veram: Suam verò persvaserunt, quam fassi non ex DEO natam.

X. Quia falsò persvaserunt Sectariis, Catholicam Ecclesiam defecisse aut erâsse: cui fundamento eorum hæreses innituntur.

Eheu!

Quis vos fascinavit non obedire Veritati? *Gal.* 3. v. 1.

Videte, ne quis vos decipiat per inanem fallaciam. *Coloss.* 2. 8.
Multi Pseudoprophetæ surgent & seducent multos. *Matth.* 24. v. 11.

Sed tamen

Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum. *Prov.* 1. v. 17.

Quales sunt Catholici, qui adhærent Romanæ sedi Petri filii columbæ.



DE-



DECEPTIO I.

Acatholicorum ab eorum Hæresiarchis.

Qvi à Catholica, Romana fide pertinaciter dissidetis; eheu! quàm graviter à Luthero, Calvino, Zuinglio, aliisquè suæ ac vestræ fidei auctoribus illusi deceptiq; estis hinc inprimis:

Quia hi vestri hæresiarchæ alium vobis Deum obtruserunt, sublato Deo vero; adeoq; vos effecerunt pænè Atheos, quia sine vero Deo.

Id, quod dixi, non tam punctura est, quàm ipsissima Veritas, quam

Demonstro manifestè Calvinistis:

Primo.

VErus enim DEUS est teste Scripturâ Sanctus & ter Sanctus: odit peccata & punit, prohibet, ab

ab iisq; deterret; non verò est ſvaſor aut incentor peccati vel cauſa illud inducens aut volens juxta illud Pſal. 5. v. 5. *Non DEUS volens iniquitatem tu es.* Et illud Sap. 14. v. 9. *Odio ſunt Deo impius & impietas ejus.* Et Habac. 1. 13. *Mundi ſunt oculi tui, ne videant malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris.* Et illud 1. Ioan. 3. 8. *Qui facit peccatum, ex Diabolo eſt.* Et Eccli. 15. 21. *Nemini mandavit Deus impiè agere.* Atqui Calvinus *lib.* 1. *Inſtit. c.* 3. § 23. Docuit DEUM eſſe cauſam peccati, ſvaſorem, ſuggeſtorem, & auctorem volentem peccatũ, & proprium eſſe opus DEI ut vocationem Pauli, ita adulterium Davidis, ac Judæ impietatem. Et *lib.* 1. *Inſtit. c.* 18. § 1. Dicit, quod Deus mandet, urgeat, incitet Satanam, ut homines ad peccandũ inducat; quod homines voluntate Dei peccent, & Satanas præcepto ac ordinatione Dei ſit mendax. An ergo

ergo Deus Calvini non est alius Deus à vero & Sancto Deo ? Imò si opus proprium Dei est peccatum Davidis & aliorum ; *qui autem facit peccatum*, juxta Joan. v. 3. 8. *ex Diabolo est* ; ô quàm grandem blasphemiam id in Deum inducet ! imò non Deum esse adstruet, aut certè novum Calvini Deum qui ex Diabolo sit. Imò si Diabolus ast author peccati (ut ex multis Scripturæ locis colligitur & illo Joan. 13. 2. Ubi *Satanas, in cor Judæ misisse* dicitur, *ut Christum traderet Judæis*) si inquam, Dæmon auctor peccati, Calvini Deus, Dæmon est. Adde quod Basilius in Homilia cui titulus est ; Quod Deus non sit causa malorum ; Sic ait : *Eadem est dementia negare DEUM, & authorem peccati asserere.* Unde inferri potest, Calvinum cum suis Atheum esse.

Secundò. Verbi DEI *perfecta sunt opera* (Deuteron. 32. 4.) nec reprehensi-

hensibilia, utpote à sapientissimo profecta. At Calvinus *lib. de prædestinat. pag.* 329. dicit esse mendacium & delirium, si quis dicat Deum omnia sine reprehensione agere. An ergo Deus Calvini non est alius à vero Deus?

Tertiò. Deus verus teste Scripturâ Sacrâ est omnipotens. Gen. 17. v. 1. cap. 28. v. 3. cap. 35. v. 11. cap. 43. v. 14. *Ego Deus Omnipotens.* Sapient. 18. 15. *Omnipotens sermo tuus Domine.* Sap. 12. 18. *Subest tibi, cùm volueris posse.* At Calvinus in Isai. 23. inquit: *Commentum illud de absoluta potentia DEI, execranda blasphemia est.* Idem ait *detestabile. lib. 3. Instit.* c. 23. §. 2. Item Deo tantùm Omnipotentiam tribuit, quæ in continuo actu versetur, non otiosam & ferè sopitam, consequenter quæ se non extendat ad alia possibilia. *lib. 1. Inst.* c. 16. §. 3. quod etiam

est

eſt contra illud Matth. 3. 9. *Potens eſt Deus de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ.* Et Marci 14. v. 36. *Pater, omnia tibi posſibilia ſunt.*

Hinc & Theodorus Beza Calvini aſſecla *lib. contra Titelman.* ait non eſſe univerſaliter credendam illam Propoſitionem Gabrielis Archangeli. Luc. 1. 37. *Non erit imposſibile apud Deum omne verbum.* An ergo non eſt alius omninò Calvinianus Deus, utpote qui ſecundum Calvinum non ſit abſolutè Omnipotens; Secundùm Bezam, nec omninò in dictis Verax?

4. *Quartò.* Pater qui eſt Deus verus ſemper generat Filium, ut etiam expreſſe profitetur S. Auguſtinus (quem *lib.* 3. *Inſt.* c. 3 §. 1. Calvinus aliis Patribus anteponit) dum Epiſt. 174. ad Paſcentium ait: *Semper gignit Pater, & ſemper naſcitur Filius.* Et hoc idem docet Immutabilitas Dei quoad intrinſeca adeoq;

deoq́; actiones immanentes, cognita ex fide & Scripturis. Mal. 3. 6. *Ego Dominus & non mutor.* At Calv. lib. 1. Inst. c. 13. §. 29. ait: *Stultè fingitur In DEO actus perpetuus generandi.* O verè alium Calvini Deum!

Quintò. Veri Dei Filius est æqualis Patri, ut habetur Joan. 5. 18. *Patrem suū dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Et ad Philip. 2. 6. *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.*

At Calvinus in Joann. 14. 28. exponens verba illa Christi, *Pater major me est*; Sanctos Patres arguit, ceu non rectè & non consentaneè solverint, quòd ea verba Christi de Humanitate intelligerent. *Et in caput 5. Joan. dicit* nullam fuisse causam, cur se tam anxiè torquerent in repellenda Arrii calumnia.

Deinde hoc ipso negat æqualem Patri, quòd Patrem nunc vocet Deum per excellentiam seu prærogativam

(lib.

(*lib.* 1. *Inst. c.* 13. §. 23.) nunc eundem appellet Deum propriè secundùm excessum, contra Prothesim decimã Valentini Gentilis. Quomodo autem possit esse æqualitas in Divinitate, ubi propriè excessus & prærogativa est Deitatis? An ergo non alius Calvino Deus?

Sextò. Veri Dei Filius est verè Creator Cœli & terræ. Juxta illud Ioan. 1. v. 3. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Et Ioan. 5. 19. *Quæcunque Pater facit, hæc & Filius similiter facit.*

At Calvinus *lib. contra Valentinum Gentilem pag.* 1924. ait: Filium non esse propriè Creatorem cœli & terræ, habitâ ratione distinctionis Personarum. En alius Calvini Creator, & consequenter Deus!

Septimò. Deum esse unum clamat Scriptura. Deuteron. 6. 4. *Deus noster, Deus unus est.* Ephes. 4. 5. *Unum baptisma, unus Deus.* At

At Beza Calvini discipulus videtur tres Deos asserere, quia tres Divinitates, seu Divinam essentiam asserit realiter, verè, & ab æternitate in tres Personas distinctam. Ita habet in Confessione suæ fidei. *punct. seu cap.* 1. *art.* 2. Nonne alium Calvinista hic Deum somniat!

Octavò. Deum verum esse Unum & trinum. 1. Joannis 5. 7. 8. docemur: *Et hi tres unum sunt.* At Calvinus epist. ad Polonos. ait: *Rejicio ut stolidum dictum eorum, qui volunt, in DEUM credere, esse in Trinitatem credere.* pag. 1973. Ibidem illa precatio, *Sancta Trinitas unus Deus*; Calvino displicet, & barbariem redolet. Quis hic non addubitet, quòd Calvinus alium fingat Deum, cui Trinitas illa non est Deus!

Nonò. Quid mirum quòd & alter Calvini nepos Conradus Vorstius de Deo turpissimè erraverit, ac eosdem errores suis propinârit?

Nam Deus est infinitus juxta illud Psal. 144. 3. *Magnitudinis ejus non est finis.* At Vorstius negat Deum esse infinitum in essendo & operando *pag.* 234.

Deus est immensus juxta illud Baruch 3. 25. *Magnus est, & non habet finem excelsus & immensus.* At Vorstius negat Deum esse ubique secundum suam substantiam, sed tantùm in cœlo. *pag.* 235. Ceu hic miser tenebrio non legerit illud 3. Reg. 8. 27. *Cæli cælorum capere te non possunt.* Et illud Ierem. 23. 24. *Cælum & terram ego impleo.*

Deus est æternus. Ad Rom. 16. 26. *Quod nunc patefactum est secundum præceptum æterni Dei.* & Dan. 13. 42. Item est immutabilis juxta illud etiam Iacob. 1. 17. *Apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio.* At Vorstius negat decreta Dei esse simpliciter æterna, nec æternitatem

tatem Dei totam esse simul. *pag.* 207. Item pag. 213. ait: *Absoluta & simplex immutabilitas DEO attribui non debet.* Et pag. 212. DEUS *aliter atq; aliter se habere potest.* Hæc ille. Deus bone! quale monstrum! qualis hic Calvinistarum Deus! imo qualis hic Atheismus! Mitto Valentinum Gentilem ad tempus Calvini discipulum, qui tres Divinas naturas, tres Divinos Spiritus numero differentes asseruit.

De monstro idem Lutheranis:

Primò.

VEri Dei natura non generatur, nec generat, sed Persona, ut Fides cum *Concil. Lateran. cap.* 2. pridem docet. Et quia alioquin si Essentia gignit & gignitur, essent duæ essentiæ. Nec enim intelligi potest unum & idem à seipso gigni;

nec

nec Patrem & Filium aliter probamus ex Scripturis esse reipsâ distinctos nisi quia hic ab illo producitur.

At Lutherus lib. de Captivit. Babylon. to. 2. pag. 607. inquit: *Perperam est determinatum, Essentiam Divinam nec generare, nec generari.* An ergo non alia fingitur à Luthero Divinitas, consequenter alius Deus?

Secundò. Deum esse unum & trinum Paulò antè diximus ex Ioanne. At Lutherus Unius Dei Trinitatem nec audire potest. Proinde ex supplicationibus Ecclesiæ omninò illud submovit; *Sancta Trinitas unus Deus miserere nobis.* Testatur *Bellarm. in Præfat. controversiæ de Christo.* An aliquis hinc non subinferat, alium esse Luthero Deum ab uno & trino?

Tertiò. Dei Filiu est consubstantialis Patri, seu est Homousios, id quod contra Arrium colligitur ex Ioan. 10. 30. *Ego & Pater unum sumus.*

Et Ioan. 14. 10. *Ego in Patre, & Pater in me est.* Et Ioan. 17. 10. *Pater, omnia mea tua sunt, & tua mea sunt.* Et Ambrosius lib. 3. de fide c. 7. ait: *Rectè homousion Patri Filium dicimus, quia hoc verbo, & Personarum distinctio, & Naturæ unitas significatur.*

At Lutherus lib. contra Iacobum Latomum, osor est Consubstantialitatis, dum ait: *Odit anima mea hoc vocabulum, Homousion.* Certè non aliter Arrius diceret, si cum prima illa cæcitate resurgeret. Imo idem Lutherus *lib. de Consiliis* falsò imponit Sancto Hieronymo ac si à Damaso Papa lamentabilibus literis exposceret, ut istud Vocabulum, Homousion, expungeret. Cùm tamen è contrà Hieronymus Epist. illâ ad Damasum sic dicat: *Obtestor Beatitudinem vestram per Homousion Trinitatem, ut mihi Epistolis tuis sive tacendarum, sive dicendarum Hypostaseon detur auctoritas.*

Quar-

Quartò. Deitas non poteſt mori vel pati, ſepeliri, &c. Tum quia id repugnat immutabilitati Dei, de qua ſuprà ex Scripturis teſtimonium adduximus; tum immortalitati Dei, quam illi tribuit Paulus 1. Tim. 1. 17. *Regi ſæculorum immortali & inviſibili ſoli* DEO : tum quia etiam Scripturæ, cùm docent Chriſtum in tempore natum, paſſum, mortuum, addunt, *Secundùm carnem*, quo indicant non eſſe paſſum vel mortuum ſecundùm Divinitatem. Sic 1. Pet. 3. 18. *Mortificatus quidem carne.* Et c. 4. 1. *Chriſto igitur in carne paſſo.* Idem confirmatur ex Patribus. Epiphanius hær. 76. Aëtis inquit : *Dominus pasſibilitate in ſeipſo ſuſceptâ verè paſſus eſt, Deitate ipſius à pasſione alienâ.* S. Athanaſius epiſt. ad Epictetum. *Quis ita impius, ut vel verbis diceret, vel animo cogitaret, ipſam Deitatem circumciſam fuiſſe?* S. Auguſtinus lib. de hæreſ. c. 73. *Eſt* inquit, *hæ-*

resis, quæ dicit in Christo Divinitatem doluisse, cum figeretur caro ejus in cruce. Qui error etiam fuit Eutychetis.

At Lutherus toties dicit Divinitatem esse passibilem, imò in Cruce esse passam. Ita habet *lib. de Consiliis. & in Confessione de Cæna Domini.* An ergo non alia ex ejus mente Divinitas & Deus?

Quintò. Jam verò Trinitarii ex Lutheranismo profecta pestis negârunt Patrem, Filium & Spiritum Sanctum esse tres Personas: Item docuerunt, unam esse Naturam seu Deitatem omnibus communem, non tamen Divinam essentiam: Item docuerunt, unum quidem esse Deum, sed solum Patrem esse verum Deum, Filium & Spiritum Sanctum non esse illum verum Deum: Essentiam Divinam non videri in se, nec videndam ab Angelis & ab hominibus. Testatur hæc *Prateol. v. Deistæ,*

stæ, Trinitarii. Et Gaulter. Alius, alius profectò horum Lutheranorum DEUS!

Sextò. Tritheitæ à Luthero descendentes, asseruerunt tres esse Deos: Item Antitrinitarii tres Personas non in se subsistere, sed in Divina Essentia; Item Servetiani duce Michaele Serveto (quod quis non horreat!) Sacrosanctam Trinitatem appellârunt Cerberum tricipitem & Geryonem tricorporem; adeóq; dicebant tantùm esse unam in Deitate Personam teste *Sander. Prateol. Genebrand. Florimundo l. 2. c. 15. Gaulter.* Prô! quàm monstrosus, & novus planè Lutheranorum Deus!

Contra Zuinglianos.

Addo Primò. Cùm Zuinglius sit nepos Lutheri, utpote discipulus Carolstadii qui fuit discipulus Lutheri; aliquis hinc arriperet occasionem

idem ſentiendi de alio Deo Zuinglii à vero Deo, ut dictum de Deo Lutheri & Lutheranorum. Sed illud fortius eſt, quod

Addo Secundò. Alium & Zuinglius Deum aſſerit. Nam de Deo vero dicitur. Pſal. 83. 12. *Gratiam & Gloriam dabit Dominus.* Item Deo Scriptura tribuit, quòd ejus gratia ſit neceſſaria ad benè ac congruè vitæ æternæ meritum operandum. Nam 2. ad Cor. 3. 5. *Non ſumus ſufficientes ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Item 1. Cor. 15. 10. *Gratia Dei ſum id quod ſum, & abundantiùs omnibus laboravi, non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Et Joan. 15. 5. *Sine me nihil poteſtis facere.* Ad Philip. 4. 13. *Omnia poſſum in eo qui me confortat.*

At Zuinglius (teſte *Prateolo, V. Zuinglius Gaulterio*) Gratiam Dei rejicit, aut ſaltem, cum Pelagio, gratiæ neceſſitatem, dum hominem ſolis viri-

viribus naturalibus propriisq; meritis gloriam posse adipisci docet, ut & de Catone ac Scipione dicit, quos in suo contra Urbanum Regium libro, salutem asserit consecutos.

Addo Tertiò. Nescio an & Calvinistæ in Zuinglio aliquid suæ doctrinæ de Deo alio non agnoverint, cùm illum ejusq; fidem tantoperè deprædicet Theodorus Beza, ut *in suis Iconibus Virorum illustrium* vocet Zuinglium Ecclesiæ Tigurinæ instauratorem; Item Zuinglii excellenti doctrinæ, incredibili fidei, ac invictæ constantiæ Alpinarum gentium partem longè maximam assertionem ex Antichristi tyrannide in Christianam libertatem debere. Hæc Beza *Calvini* (ut illum non nemo vocat) *penè idololatra*, utpote qui audeat Calvinum vocare Os Domini, verum Prophetam, ineprehensibilem, maximum universi lumen ad Ecclesiam Dei dirigen-

rigendam. Ita habet *in vita Calvini & testamento.*

Addo Quartò. Quod Henricus Bullingerus Zuinglii Successor dicat tres quidem esse in Divinitate Personas, sed gradu, formâ & specie differentes, quod vix Arriani dicere ausi essent.

Ex dictis Infero.

Graviter vos à vestris deceptos Pseudoapostolis, qui vobis novi ac monstrosi Dei notitiam cultumqué obtruserunt, Sublato vero Deo:

Qui enim tollit veri Dei naturam, proprietates & attributa, is tollit verum Deum. Sed vestri hæresiarchæ tollunt hæc omnia, ut hactenus probatum est. Verum igitur Deum sustulerunt; & vos, quod initio dicebam, pæne Atheos effecerunt.

Et hos sequi dignum iudicabitis, qui ne Deum verum agnoverint?



DE-



DECEPTIO II.

Achatholicorum ab eorum Hæresiarchis.

Gravis & hæc impoſtura eſt, quâ vobis Lutherus, Zuinglius, Calvinus, aliiqué ex eorum familiis propagati hæreſiarchæ illuſêre:

Quia vobis alium Chriſtum obtruſerunt, vero ablato:

Et tamen, ut dicitur Joan. 17. 3. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Veſtræ autem religionis auctores, & Deum verum vobis abſtulêre, ut proximè oſtendi; & inſuper pro vero Chriſto alium vobis monſtroſum obtruſêre ac perſuaſêre.

Demonſtro id Calviniſtis Clariſſimè:

Primò.

VEra Fides confitetur Chriſtum eſſe Deum de Deo. Tum quia id

Scriptutis conforme, cum Christus de se dicat Joan. 7. 29. *Ego scio eum* (Patrem) *quia ab eo sum.* Et Ioan. 5. 26. *Pater dedit Filio habere vitam in semetipso.* Et Ioan. 10. 29. *Pater meus, quod dedit mihi, majus omnibus est.* Et Joan. 16. 27. *Ego à Deo exivi.* Tum quia S. Augustinus Tract. 31. in Ioan: ait: *Quidquid est Filius, de illo est, cujus est Filius; Ideo Dominum JEsum Christum dicimus Deum de Deo.* Et S. Athanasius apud Vigilium: *Propriè Filius est Deus de Deo, lumen de lumine.* Tum quia idem ante Augustinum docuêre plusquam trecenti Patres Concilii Nicæni, in quorum Symbolo fidei Christus dicitur *Deus de Deo.*

At Calvinus *lib. 1. Inst. c. 13. §. 25.* dicit Christum esse Deum ex sese; & non esse propriè Deum de Deo. Hinc idem ait Filium Dei non accipere essentiam divinam à Patre; cùm *in epist. ad Polonos* vocat blasphemiam, Iesum

Chri-

Chriſtum eſſe â Patre eſſentiatum. *Et libro contra Valentinum Gentil.* ait: *Verbum ſemper fuit* Deus, *quare neutiquam illi à Patre datum eſt, ut eſſet.* Et infra pag. 1948. *Cùm dicis eſſentiam illi fuiſſe datam à Patre, negas illum à ſeipſo eſſe, cui rei contradicit* Spiritus *Sanctus, qui æternum illum vocat.* Item lib. 1. Inſt. c. 13. §. 26. inquit: *Pater eſt Deitatis principium non eſſentiando, ut fanatici loqùuntur, ſed ratione ordinis.* Sequitur Calvinum ejus Diſcipulus Beza, dum *lib. contra Smidelin. de unit. Hypoſtat.* ait, Chriſtum non eſſe genitum de Patris eſſentia, etiam *contra illud* P*ſal.* 109. 3. *Ante Luciferum genui te.* Sequitur & Daniel Chamerius Miniſter Montilienſis *in Collatione Alanenſi Act. l.* 2. 5. 7. 19. dicens Filium Dei eſſe impropriè Verbum ac imaginem Patris. Et *Act.* 18. 19. 21. Dei Filium non accipere ſverè ac propriè eſſentiam ſuam à Patre. Idem cen-

fuerunt Authotheani Calviniani Ministri dicentes Christum esse à se non à Patre. En ut Calvinus cum sui sequacibus novam & fictitiam Christo Deitatẽ tribuit, veram pernegat! At hoc est Christum verum tollere, monstrosum vobis substituere.

Secundò. Christus nunquam peccavit. Unde ipse ait Io. 8.46. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et 1. Pet. 2.22. dicitur de Christo: *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Et ad Hebr: 4.25. *Tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.*

At Christus Calvini, peccator est. Tum quia *in epist. ad Galat.* 3. dicit: Christum suscepisse Personam nostram, ut peccator fuerit & maledictionis reus: Tum quia *lib.* 2. *c.* 16. §. 12. ait Christum tempore Passionis inquinatum affectu vitioso; & eum in horto vocem sine ratione edidisse, quam ut non satis meditatam

tam celeriter castigâvit, *ut ait in caput* 26. *Matth.* Tum quia juxta Calvinum Christus in cruce desperavit, ac si pereundum illi foret internecione sempiternâ *lib.* 2. *Inst. c.* 16. §. c. 1. l. 2. ubi vocat nebulones indoctos, contrarium sentientes. Non ergo Calvini Christus est quid monstri ac-ficititius?

Tertiò. In Christo erant *omnes thesauri Sapientiæ & Scientiæ Dei*, ut ait Paulus ad Coloss. 2. 3. adeoq; nulla ignorantia. Hinc eidem Petrus Ioan. 21. 17. *Domine tu nôsti omnia.* Adeoq; S. Augustinus lib. 2. de pecc. mer. & rem. cap. 29. *Ignorantiam* inquit, *nullo modo crediderim fuisse in infante illo, in quo Verbum caro factum est.* Et Gregorius Nazian. orat. in Basilium ait: *Proficiebat Sapientiâ, non ut incrementũ aliquod acciperet, cum ab initio Dominus gratiâ & sapientiâ absolutus esset, sed quòd hæc hominibus ignaris apparerent.*

At

At Calvinus *in Harmon. Evang.* ait Christum puerulum ignorantiâ laborâsse. *Et in caput* 24. *Matth.* inquit, Christum nostri causâ se ignorantiæ subjecisse ita ut usu qnotidie factus sit sapientior. Unde Theodorus Beza *libro contra Andream Jacobi de duab. naturis Christi* cùm de hoc errore argueretur, respondit se in hoc secutum esse Calvini sententiam & Lutheri. An igitur Christus Calvini non alius à vero?

Quartò. Christum quis nescit pro omnibus mortuum testante id Paulo 2. ad Cor. 5. dum ait: *Pro omnibus mortuus est Christus.* Et 1. Joan. 2. 2. *Ipse est Propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed & pro totius mundi.* Et 1. Tim. 2. 6. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Sed Christus Calvini tantùm mortuus est pro electis & prædestinatis, ut colligitur ex *lib.* 3. *Inst. c.* 22. §. 10.

ubi

ubi etiam ait per Christum dari fidem tantùm filiis, quos adoptavit. Alius illi Christus.

Quintò. Christi Passio & mors mundum redemit, ut patet ex Apoc. 5. 9. *Redemisti nos in sangvine tuo.* Et Isai. 53. 5. *Cujus livore sanati sumus.* 1. Joan. 1. 7. *Sangvis ejus emundat nos ab omni peccato.*

At Calvinus mortem Christi non fuisse nobis profuturam ait, nisi tolerâsset pœnas damnatorum, & quæ sceleratis à Deo infligitur, ut habet *lib.* 2. *Inst. c.* 16. §. 10. *&* 12. Hinc ait eum accensum flammis inferni, gehennam gustâsse non minus, quàm animæ damnatorum, diros in anima cruciatus perditi damnati hominis pertulisse. Alius certè Calvino Christus, quàm fides & Scriptura prædicet.

Sextò. Christum veracem esse, imò *plenum gratiæ & veritatis* Joan. 1. 14. di-

20

14. didicimus. Et ipſe de ſe ait Joan. 14. 6. *Ego ſum via, veritas,* &c.

At Chriſtus juxta Calvinum, non eſt verax in dictis ac promiſſis. Nam Joan. 6. 51 promiſerat: *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita* : Et tamen juxta Calvinum non dedit panem hujusmodi qui ſit caro Chriſti, ſed tantùm ſignum, ſeu figura Carnis ſuæ, ut docet *lib.* 4. *Inſt.c.* 17. § 12. Ubi etiam obiter addo, quòd infirmum ac nimis impotentē Chriſtum fingat Calvinus, quia talem, qui non poſſit panem mutare in carnem per ſuam divinam potentiam, quod fit etiam naturaliter in nutritione hominis. O longè alium Chriſtum Calvini! maximè ſi inſuper recolas, quæ contra Filium Dei ex Calvino attulimus ſub Decept. *prima.*

Septimò. Chriſtum eſſe Deum clariſſimè ſcripturæ loquuntur, pateté; id ex Joan. 1. 14. Ubi *verbum caro factum*

ctum dicitur, de quo ibidem antea: *Deus erat verbum.* Et Rom. 9. 5. *Ex illis est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.*

At Calviniani Galli *In locum sexti versus octavi Psalmi Davidici à Clemente Maroto repositum* concinunt Gallicè in suis conventiculis sic: *Talem, illum fecisti, nihil ut ei desit, nisi Divinitas.* Ubi quàm clarè in Arrianismum impingunt! testatur id *Gaulterius quartò sæc. pag.* 294.

Octavò. Petrus Richerius Calvinianus Minister (ut videre licet *in Controversiis Villagagnoni, &* *in epist. ad Magistrat. Genevens. in Attestationib. adjunctis*) ausus fuit propugnare, Christum non esse in carne sua adorandum: Item hæreticum dixit illum, qui censet Christum orandum & invocandum esse, contra illud *Act.* 7.58. ubi Stephanus orat: *Do-*

mine

mine Jesu, accipe Spiritum meum. Et contra Matth. 2. 11. *Et procidentes adoraverunt eum.* Utiq; in carne, tunc natum. Et contra illud Pauli ad Heb. 1. 6. *Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, Et adorent eum omnes Angeli ejus.*

Nonò. Christus est mediator inter Deum & homines tantùm secundum Naturam humanam. Nam non sine causa Paulus 1. Tim. 2. 5. addit. *Unus mediator Dei & hominum. Homo Christus Jesus.*

At Calvinus *in epistolis duab. ad Polonos*, docet, Christum exercere officium Mediatoris secundùm Natururam etiam Divinam. Quem etiam sequuntur Ministri Tigurini. Mitto, quòd Beza *lib. contra Brentium de omnipotentia carnis Christi, & lib. contr. Andream Jacobi de duab. Unionibus Hypostacius in Christo* ait, quod est Nestorium suscitare.

Vide-

Videte ergo qualis Christus Calvini & Calvinistarum ! quàm alius à verò !

Ostendo idem Lutheranis.

Primò.

CHristum esse Deum, Scriptura quam proximè adduxi, testatur. At Lutherus *Disp.* 1. *de Unit. essent. Divinæ, assert.* 14. Audet dicere nescio quô Spiritu: *Nihil mirum*, inquit, *si totus mundus Christum neget esse Deum.* Mirum sanè imò monstrosum de Christo effatum Lutheri! An non alius illi Christus?

Secundò. Contra Calvinum citata ex Scripturis testimonia clarè indicant nullam in Christo fuisse ignorantiam.

At Lutherus *Conc. de Natali Domini*, ait Christum non omnia semper agnovisse, non quovis tempore omnia

mnia intellexisse. En alius Lutheri ab indicato in Scipturis Christus!

Tertiò. Christum fuisse *Agnum immaculatum & incontaminatum* adeoq; sine peccato, tum 1. Petri 1. 19. dicitur, tum aliàs sæpè; ut attuli contra Calvinum.

At audite hîc blasphemiam Lutheri, qui in epistolam ad Gal. 3. Illud contra Christum evomuit: *Omnes Prophetæ* inquit *viderunt hoc in Spiritu, quòd Christus futurus esset omnium maximus latro, homicida, adulter, fur, sacrilegus, blasphemus.* Et hom. 1. *Fit gravissimus & longè omnium maximus & unicus peccator.* Hinc infrà ait illum præcipuè baptismo eguisse in remissionem peccatorum, & inprimis propter Christum à Patre ordinatum fuisse baptismum. Prô qualis est Lutheri Christus! quantæ in verum Christum blasphemiæ Lutheri!

Quartò. De Christo ut homine dicitur

citur Marci 16. 6. *Surrexit, non est hic.* Et ipse de se Joan. 11. 15. *Non eram ibi.*

At Christus Lutheri & Lutheranorum etiam secundùm Humanitatem est ubiqúe. Nam ita docet Lutherus *tom. 2. Conc. de Sacra Cæna Domini.* Item Brentius *lib. de Majestate Dei hominis.* Et in *Apologia pro Confessione VVittenbergensium in tract. de Cæna Domini.* Item Smidelinus in *Repetit. VVittembergensi.* Nam docent hi Humanitatem Christi esse omnipotentem & immensam, consequenter carni Christi attributum Divinitatis tribuunt: Quod si putant uniri essentialiter Humanitati, sic fiet Humanitas idem cum Deitate, quod est hæresis Eutychiana; Si accidentaliter idem attributum uniunt Humanitati; Sic distinctæ erunt Personæ Dei & Hominis, quod est hæresis Nestoriana. En qualis eorum Christus? quàm alius à vero!

Quintò. Quid alii Successores Lutheri? Quàm de Christo aliena à Christo?

1. Nam Anabaptistæ illum dicunt non sumpsisse carnem veram de Virgine, teste Lindan. *Dial. 2. Dubitantii.* Item Canisius *lib. 1. de corruptelis Verbi Dei* testatur, Anno Domini 1571. in Palatini ditione prope Heidelbergam ab Anabaptistis Lutheri propagine potestatem factam, in dubium adducendi, num Christus ex Virgine carnem sumpserit, num aliunde? En alium Christum!

2. Gaspar Stencfeldius Antilutheranus, & Memnonitæ Christum ratione Hunanitatis esse verum Deum docuêre. Et quidem Stencfeldius Humanitatem Christi non esse natam, sed esse genituram Spiritus Sancti, & eandem esse omnino Deum effectam post Ascensionem. Teste *Prateolo v. Stencfeldius & Florimundo l. 2.*

l. 2. *t.* 16. *Sandero h.* 191. quæ est hæresis Eutychiana *apud Sand. h.* 102. *apud Baron. ann.* 448. Hiccine est Christus? O novum sanè Eutychianismum!

3. Brentius Lutheri vera progenies distinguit Filium Dei. A Filio Mariæ & in hujus Filio dicit esse Filium Dei. En Lutheranus hic Nestorisat! Nam teste S. Augustino *hær.* 89. & *Socrate l.* 7. *c.* 32. Nestorius docebat, Christum ex MARIA natum non esse Deum sed Hominem! Prô! qualis Lutheranorum Christus!

4. Philippus Melanchton in Locis communib. 39. editis fol. 9. inquit: *Necesse est in Filio aliquid esse Naturæ Divinæ.* Et fol. 10: *In Christo est aliqua Natura Divina.* En Lutheranus hic vel multas, agnoscit Naturas Divinas, quod volunt etiam novi Tritheistæ; aut agnoscit multas esse partes Naturæ Divinæ, quæ est antiqua hæresis aliquantò Arrianâ absurdior, de

qua

qua Augustinus *lib. de hæres. cap.* 74. Quàm ergo novam & confictam Deitatem Christo hic Lutheri assecla tribuit!

5. Martinus Kemnitius *lib. de duab. Naturis* absurdum censet dicere, quod Christus sit Mediator secundùm humanam Naturam, ut supra dictum de Calvino contra 1. *Tim.* 2.5. Alius & huic Christus.

6. Michaël Servetus negabat in Christo esse duas Naturas. Teste Gaulterio *pag.* 795. Nempe is etiam Creatorem cum Creatura ita confundebat, ut Deum in lapide esse lapidem diceret, in trunco truncum (ipse truncus) ut patet *ex ejus epist.* 6 *ad Calvin.* En Lutheranorum CHristum, & Deum!



Con-

Addo Primò. Eos hic non meliores, seu non melùs sensisse de Christo aliumq́; à vero agnovisse. Nam cōtra citatam superiùs contra Calvinū Scripturam Sacram, Zuinglius *in cōfessione ad Carolum V. Act.* 1. dicit Christi Sapientiam paulatim crevisse.

Idem docet Bucerus ex Lutherano Zuinglianus, qui in cap. 24. Math. inquit de Christo: *Humanam scientiam & ignorantiam, rationem videlicet mentemq́ humanam, quæ per intervalla augetur & accrescit sive diminuitur, assumpsit.* En Zuinglianorum CHristum.

Addo Secundò. Quod idem Bucer9 teste Lindan. Dial. 2. Dubitantii, moribundus dixerit JESVM CHristum non fuisse verum illum Messium sed alium nobis exspectandum. En Zuinglianus hic Iudaizat! alius profectò illi Christus!

Addo Tertiò. Quod Zuinglius ad Nestorianos videatur descivisse, cùm verba illa Ioan. I. 14. *Verbum Caro factum est.* legit sic: *Verbum Caro facta est.* testatur id Lutherus. *Vide idem apud Gaulterium* 755.


Addo Quartò. Martinus Bucerus Sacramentarius digniorem fide censuit malignum Spiritum quàm Christum de præsentia reali corporis Christi in Eucharistia, quam negavit suggerente sic dæmone, ut testatur Lutherus *in Colloquio VVittemberg.* Item Sander. *Repetit.* I. *de Euch. c.* 10.

O verè alium etiam apud Zuinglianos Christũ! Verus porrò Christus utpote ipsa Veritas contrarium clarè asserens, quomodo non fide dignior præ Patre mendacii Diabolo!

Concludo.

Sic ergo duces cæcos sequimini, qui ne Christum quidem cognoverint, *in quo est* salus,

salus, vita, & resurrectio nostra; sed longè alium vobis, & monstro similem persuaserint ? O illusio non ferenda!



DECEPTIO III.

Acatholicorum ab eorum hæresiarchis.

At verò an non supra modum vobis imposuit Lutheri, Calvini aliorumq; novæ fidei inventorum pervicacia etiam inde:

Quia vobis veram Sacram Scripturam seu verum DEI Verbum (prô dolor!) sustulêre.

Fraus hæc ac impostura vobis longè gravior videri debet, utpote quibus norma fidei & Iudex Controversiarum est Scriptura Sacra, atq; id tantùm credendum videtur, quod in Scriptura.

Sicut asserui vos esse deceptos.

Probo inprimis:

P*Erinde est acsi vobis abstulissent veram Sacram Scripturam vestri hæ-*

 resi-

resiarchæ : Quia abstulerunt indicia & signa, ex quibus certò colligi possit ac discerni vera Sacra Scriptura ab alia suppostitia & non sacra.

Hæc autē abstulêre: Nā seclusâ novâ & speciali nec ulli illusioni obnoxiâ revelatione; sola & unica Traditio vel definitio Ecclesiæ (hoc est, *columnæ & firmamenti veritatis*, ut eam Paulus 1. Timoth. 3. v. 5. vocat,) sola inquam est, quæ nos certos reddit hanc, quam de facto habemus, esse Veram Sacram Scripturam.

Sed vestræ religionis auctores rejiciunt Traditiones, & Ecclesiæ definitionem nil curant. Nam Calvinus traditiones impugnat *lib.* 4. *Inst. c.* 8. §. 6. 7. 8. *& alibi.* Item Brentius *in Prolegomenis contra Petrum de Soto.* Similiter Kemnitius *in Examine Conc. Trid. Sess.* 4.

Lutherus insuper *lib. contra Regem Angliæ*, testatur se nihil facere mille

Augu-

Augustinus, mille Ecclesias. Ergo hi vobis unicum illud medium, quo internoscere poteratis Sacram Scripturam à non Sacra, sustulerunt.

Nunc enim unde id probabitis? unde internoscetis? Quem hic judicem hujus controversiæ appellabitis? Num ipsam Scripturam? at probandum priùs est hanc verè esse Sacram Scripturam. An Spiritum privatum ac internum? At unde huic infallibilis veritas ac certitudo? Imò, cùm, quot hæretici sunt, tot variis spiritibus agitentur, cujus potiùs Spiritui credendum erit? Unde colliges hunc potiùs Spiritum esse à Deo (quod monet Apostolus, *Probate Spiritus si ex Deo sint.* 1. Joan. 4. 1. Maximè cùm aliqui, ut infra adducam, fassi fuerint sibi pleraque sua dogmata inspirata à Diabolo?

An ad Lutherum hic, vel Calvinum & similes appellabitis? At un-

de his duobus homuncionibus major auctoritas, quàm tot antiquissimis Ecclesiæ Patribus, quos passim rejicitis; quàm sapientissimis per Orbem Academiis & Doctoribus per tot jam sæcula mirè consentientibus, quos minimè curatis?

Probo idem secundò.

Quia vestri Pseudomagistri vel omnes libros Canonicos, vel plurimos pro libitu è Canone ac numero Sacrorum librorum contra omnem antiquitatis sensum eraserunt, nempe ut faciliùs suos vobis errores persuaderent, exclusis iis sacris voluminibus, quæ illos ac vos manifestè refutassent, & falsitatis arguere potuissent.

Osten-

Ostendo id ipsum per Inductionem.

Primò Enim Suencfeldiani (qui Antilutheranis annumerantur) totam Scripturam Sacram rejecerunt tanquam literam occidentem, solo Spiritu interno contenti, Scripturam scilicet rejicientes propter Scripturã quæ dicit: *Litera occidit, Spiritus autem vivificat.* 2. Cor. 3. 6.

Secundò. Anabaptistæ (Lutheri nepotes) *in Colloquio Franckental.*, Vetus Testamentum ceu à malo Deo dictatum repudiârunt. Quippe illorum errores ac impudentiam, tam Prophetarum, quàm Salomonis aliiq; Libri Veteris Testamenti castigârunt.

Tertiò. E Veteri Testamento Lutherus & Zuinglius *in Præfationib. Bibliorum à se conversorum* è Sacro Canone excludunt librum Tobiæ, Ju-

dith, Sapientiæ, Ecclesiastici, & Machabæorum. Imò Lutherus *in Assertion. Art. 37.* libros Machabæorum vel maximè nullius auctoritatis esse contendit. Idem in Colloq. mensalib. & in Præfationib. librorum Novi Testamenti ait: *Odi librum Esther, & cuperem non exstare: Liber Judith est*, inquit, *figmentum compositum instar Virgilianæ Æneidos, aut Iliados Homeri.*

2. Priores quinque Libros expungit & Brentius *in Confess. VVittemberg. cap. de Script. Sacr.* Item Magdeburgenses *Centur. 1. lib. 2. Coll. 1.*

3. Calvinus cum libro Tobiæ & libris Machabæorum (ut patet ex Bibliis Genevensibus) rejicit insuper librum Sapientiæ *lib. 1. Inst. c. 11. § 8.* Item Ecclesiasticum *lib. 2. Inst. c. 5. §. 18.* Item librum Judith videtur rejicere *in Antidot. Concil. Trid. Sess. 4.* Rejicit adhuc Prophetiam Baruch *l. 3 Inst.*

Inst. c. 20. § 58. Item aliquot capita Danielis teste Gaulterio *Sæc.* 16. *errore Calvinistarum nono.*

4. At quâ id auctoritate fecêre contra veterum Patrum sensum (quos ultimo loco referam) hi Sacrorum librorum arbitrarii Censores? Nimirum ibi eorũ figmenta & fraudes, quibus vos illaqueârunt, manifestiùs deteguntur. Nam ibi de Angelorum Patrocinio, de arbitrii libertate, de oratione pro fidelibus, de Sanctorum intercessione, de bonis operibus, de jejunio & oratione pluribusq; aliis fides Catholica roboratur, illorùm hæreses enervantur.

Quartò. Item Lutherus *Sermon. Conviv. lib. tit. de libr. Veteris & Novi Testamenti*, auctorem Ecclesiastæ ait sibi videri ocreis & calcaribus destitutum, equitare tantùm in Soccis. Præterea *Sermon. Conval. tit. de Patriarch. & Proph.* librum Iob. vocat

fabulæ argumentum, affirmatq; se non omnia credere, quæ in eo libro narrantur. Ibiq; multa ridicula & stulta contineri. Deus bone! qualis Verbi Dei censor! quantus illusor! Quippe ibi etiam se miser impugnari sensit. Nam Eccl. 12. 13. dicitur: *Deum time & mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo.* At Lutherus fidem sufficere volebat.

At verò Iob. 13. 1. Ejus impudentia clarè arguitur: *Pepigi fædus* (ait Iob) *cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine*; Cùm tamen nefarius apostata Lutherus cum dicata Deo Virgine Sacrilegum inierit Matrimonium & ipse Monachus. Ibidem v. 9. 11. Iob ait: *Si deceptum est cor meum super muliere; hoc enim nefas est & iniquitas maxima*: Cùm tamen Lutherus dicat impudentissimè: *Si nolit Domina, veniat ancilla.* Item Iob. 42. 8. dicitur: *Job Servus meus orabit*

bit pro vobis; faciem ejus suscipiam. Quo loco intercessio Sanctorum stabilitur.

Hæc de Veteris Testamenti libris Sectarii. Nisi quòd Calvinus insuper blasphemè arguat mendacii librum Sapientiæ *lib.* 1. *Inst. c.* 11. § 8. Ubi nempe & bonorum operum tantam commendationem, & mercedem justitiæ Sanctorum, & plurimæ suæ sectæ videt contraria, & tamen *in Psychopannychia* citat cap. 9. Sapient. cùm ait: *Melius docemur à Scripturis Sacris: Corpus quod corrupitur, aggravat animam.* Sap. 9. 15.

Quid iidem de Sacris libris Novi Testamenti?

I.

Lutherus *in Prologo Epistolæ Jacobi.* Item Magdeburgenses *cent.* 1. *lib.* 2. *cap.* 4. *Col.* 54. Item Brentius, Kemnitius Epistolam Iacobi Apostoli

penitus contemnunt. Lutherus eam contentiosam, tumidam, aridam, stramineam, & indignam Spiritu Apostolico blasphemè asserit. Nempe hâc Epistolâ confossus est miser, cùm in sola fide justitiam statueret *contra Jacob.* 2.

II. Iidem Lutherani Epistolam Catholicam Iudæ, secundam Epistolam Petri, secundam & tertiam Ioannis, Epistolam ad Hebræos, suâ auctoritate aut penitus rejiciunt, aut dubii hærent: Ita Lutherus *in Prologis harum Epist.* Brentius *in Confessione VVittemberg.* Kemnitius *in Examine* 4. *Sess. Trident.* Nimirum Epistola Iudæ hortatur ad perseverantiam in bonis operibus, à flagitiis deterret, quæ tamen Lutherus dicebat non obesse, si fides adsit. Teste *Castr. V. Peccatum H.* 5. Epistolæ verò Ioannis, traditiones & charitatem commendant. Ibi enim dicitur: Ioan. 3. 13. *Nolui per atra-*

atramentum & calamum, scribere tibi, sed ore ad os loquemur, &c. Secunda Petri Epistola agit de virtutib. Christianis & hæreticorum errroribus, &c. At hoc ipsum suspectos vobis hæresiarchas potuit reddere, quòd ita è sacris libris eliminent, quæ suis novis erroribus opponi vident, acsi Scriptura illis, non illi potiùs Scripturæ Sacræ se conformare deberent.

III. Præterea Luthero (*in Prologo*) item Brentio, Kemnitio *ll. cc.* non placet Apocalypsis.

IV. Adhæc Lutherus nullum ferè Evangelistam agnoscit præter Ioannem, cujus Evangelium vocat unicum, pulchrum, verum, aliisq; tribus longè ac latè præferendum. *In Præfat. in Novum Testamentum.* Quanta hominis libertas in Scripturis censurandis!

V. Porrò Calvinistæ *In Confessione Pissiacensi Art.* 3. Epistolam Pauli ad He-

Hebræos dicunt esse incerti auctoris. Sicut & Calvinus dubitat, sitne Barnabæ an Lucæ *in institutione impressa Anno* 1554. *cap.* 10. §. 83.

En ut vestri Neo-Doctores Sacram Scripturam vobis mancam & laceram obtulêre! Quodsi in libris, quos excludunt pro libitu, non est verbum Dei; unde colligent in iis quos retinent, esse?

Probo idem Tertio.

Quia vobis malam falsamq; Bibliorum versionem vestri hæresiarchæ tradidêre.

I.

NAm Lutherus ipse (teste Cochlæo *in actis Lutheri*, & Lindano *in Dubitant.*) post annos 20. fassus est se crebriùs errâsse, eo quod Rabbinorum glossis nimiùm credidisset: Etsi alioquin versio Lutheri Biblica eo plausu primo sit accepta, ut teste Matthæsio Lutheri discipulo, Festum Translationis Bibliorum à Lutheranis fuerit institutum, quamvis in illa plu-

la plures postea quàm mille errores fuerint deprehensi *teste Bec. tit. 1. Calvin.*

II. Ejusdem Lutheri versionem carpunt & irrident Tigurini (teste Stolzio *in defens. Lutheri*) & Osiandrini, qui Luthero exprobrant dolum & falsitatem. Eidem Bucerus ipse manifestos lapsus objicit: Munsterus verò eidem exprobrat multorum versuum omissionem.

III. Versionem Biblicam Theodori Bezæ damnat ipse Castalio *in præfat. ad Anglam.* Versionem Sebast. Castalionis vicissim damnat Beza ut inneptam falsam, imperitam, blasphemam, ridiculam, execrandam, impiam, perversam. *Hæc Beza.*

IV. Versionem Sebast. Munsteri perstringunt Tigurini, & Pelicanus, *in suis Præfation.* Biblia Tigurinorum damnat & Lutherus, illud Typographo oblatis sibi eorum Bibliis effatus:

Nul-

Nullum cum eis commercium, nec eorum libros recipere aut legere volo, quandoquidem ipsi damnati sunt, & alios homines secum ad inferos deducunt. Ita refert Hoſpinianus Calviniſta in Hiſtoria Sacramentaria Anno Domini 1544.

V. Porro easdem veſtrorum verſiones oppugnant Cochlæus *in Actis Lutheri*, Genebrandus *Præfat. in Nigen.* Serarius *in Prolegomenis Bibl.* Gretſerus, qui eas indicant eſſe corruptas ac vitioſas, aridas & inſipidas, inter ſe pugnantes, inconſtantes, & quæ Grammaticam magis quàm Theologiam ſapiant, quod ultimum in Caſtalione etiam Beza carpit. Quæ fuſius oſtendit *Becan. titulo* I. *Calviniſt.*

Probo idem Quartò:

Seu potiùs Tertiam probationem confirmo:

Quia

Quia vobis pluribus locis detruncatam, pluribus item auctam pro suo arbitrio Scripturam obtrusère pro vera ac genuina.

Detruncatam esse ab Hæresiarchis Scripturam locis compluribus ostendo.

Nam Beza aliiq; Evangelici (*teste Bec. titulo* I. *Calvin.*) omittunt totum illum versiculum. Actor. 6. 4. *Tradebant eis custodire dogmata quæ erant decreta ab Apostolis & Senioribus.*

Item, ubi ait Apostolus 2. Petri I. 10. *Satagite, ut per bona opera certam vocationem & electionem vestram faciatis.* Omittunt, ly, *per bona opera*. Sed quidni audeant aliqua uerba ejicere è Scripturis, cum ex illis tot libros, ut ostendi proximè, ejecêre.

Auctam verò esse ab Hæresiarchis in locis complurib. Sacram Scripturam patet.

Nam Lutherus cùm nullum invenisset locum in Scriptura, quo probaret, solam fidem justificare; auctorita-

ritate propriâ in Epiſtola ad Rom. cap. 3. 28. appoſuit hanc particulam, *Sola*; & cum ibi eſſet, *Arbitramur hominem juſtificari per fidem*, ille poſuit, *Per ſolam fidem*. Cumq; de hac re pòſt monitus eſſet, reſpondit inſolentiſſimè: Sic volo, ſic jubeo, ſtat pro ratione voluntas.

2. Idem Lutherus ad illud Apoſtoli 1. Cor. 9. 5. *Nunquid non habemus poteſtatem mulierem Sororem circumducendi?* Addidit de ſuo, *in uxorem*. Teſte Bec. ſupra. Prô impudentem apoſtatam, & Divinarum literarum falſarium!

3. Item illud Chriſti Joan. 6. 41. *Ego ſum Panis vivus*; Beza, ut realem corporis Chriſti in Eccleſia præſentiam impugnet, ponit ſic: *Ego ſum panis ille vivificus*. Significans Chriſti corpus non niſi per ſuos effectus hîc recipi, ſicqué panem materialem pro Pane vero de cœlo deſcendente ſubſtituit.

ſtituit. *O quàm* vera apud vos Scriptura!

Probo idem Quintò.

Quia veſtræ fidei auctores & ſequaces ineptam & falſam vobis Sacræ Scripturæ interpretationem tradidêre.

Patet id Primò.

Cùm Chriſtus dicit Matth. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata* Id à Chriſto dictum eſſe non ſeriò at ironicè, Calvinus cenſet, ſic ea verba interpretans: *Ne ſerves mandata, quia id nec prodeſt, nec eſt poſſibile.* O præclarum interpretem! *colligitur id ex l. 3. Inſt. c. 24. §. 13. vide Bec. tit. 1. Calv.*

Brentius verò ita eadem verba interpretatur, ut putet Chriſtum hic verbis indicâſſe viam ad æternam damnationem. Unde ſecundùm Brentium ſenſus eſſet. *Si vis æternùm damnari, ſerva mandata.*

Patet

Patet idem secundò. Illa Christi verba: *Hoc est Corpus meum*, Calvinus exponit (lib. 1. Inst. c. 13. §. 12.) *Hic panis est figura seu imago Corporis mei.* Zuinglius (ut patet ex lib. Subsidium de Euchar.) sic exponit: *Hic panis significat corpus meum.* Lutherani sic exponunt: *Hic panis est corpus meum.* Nempe ita ut sit & panis & Corpus Christi ibidem.

Bucerus (teste Prateolo v. Bucerus) ait hunc esse sensum: *Hoc est protestatio & memoriale beneficiorum Dei.*

Carolstadius sic dicta verba explicat: *Hîc*, id est, *ad hanc mensam sedet corpus meum.* Seu: *Hoc est arcanuum, quod hîc mensæ assidet.*

VVestphalus tradit sic prædicta Christi verba à Calvino exposita seu corrupta esse: *Hoc*, id est, *non panis, sed universa cænæ actio est Corpus meum.*

Plessæus lib. 4. de Euchar. c. 2 verba illa, *Hic est sangvis meus*, sic interpreta-

pretatur: *Hæc est acerba illa mors & passio, quam sustinebo.*

En quanta Scripturæ perversio, & in clarissimis verbis hallucinatio! cum tamen contra plerasq; has interpretationes sit additum: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; Hic est Sangvis meus, qui pro vobis effundetur.* Quibus verbis cum indicârit Christus clarissimè, id quod Apostolis dabat, esse corpus tradendum, esse sangvinem effundendum; utique id nec de acerba illa morte, nec de universa cœnæ actione, nec de protestatione ac memoriali beneficiorum Dei, nec de vino vel pane, nec de imagine vel figura Corporis Christi, potest intelligi, quia horum nihil est traditum aut effusum pro nobis, sed verũ Corpus & Sangvis Christi. Lutheranos insuper ipsa Pronomina demonstrativa refutant, *Hoc, Hic*, nec sic verificaretur Propositio, ut de hac re fusiùs

Theo-

Theologi. Carolstadium ipse verborum Evangelii contextus refutat, *Accipite & comedite, hoc est enim, &c.* quàm ineptus enim contextus ac rerum nexus est: *Accipite & comedite, hîc enim sedet corpus meum.*

Patet Tertiò. Illud de Christo ex Symbolo Apostolorum: *Descendit ad inferos*, Calvinistæ in Catechismo Heidelbergensi sic explicant: *Acerbos cruciatus in morte pertulit.* Calvinus verò lib. 2. Inst. c. 16. §. 10. sic exponit idem: *Omnes pœnas damnatorum perpessus est.*


Beza verò in Annotationib. in Acta Apost. per *Inferos* hîc intelligit *sepulchrum.* Unde & illud Psalmi 15. 10. *Non derelinques animam meam in inferno.* Sic explanat cum Calvino. *Non derelinques cadaver meum in sepulchro.* En quâles Verbi Dei interpretes, & in tanta claritate cæci? Maximè cùm contra Bezam & illud

sit

ſit, quòd jam immediatè in Symbolo dictum ſit de ſepulchro, *Et ſepultus eſt*, nec ibi repetantur ulla bis myſteria, ut hîc repeteretur de ſepultura, ſi verus eſſet ſenſus Bezæ; & illud Pauli ad Eph. 4. 9. *Qui aſcendit, ipſe eſt qui & deſcendit in inferiores partes terræ*; quæ non ſignificant terræ ſuperficiem vel ſepulchrum quod ſupra terram erat, ſed partem terræ, aliis partib. inferiorem.

Ex dictis Infero:

Plùs vobis nocuiſſe Hæreſiarchas, quàm putâſtis. Nam cùm & Verbum Dei traditum ſeu Traditiones vobis diſſuaſerint, & inſuper Verbum Dei ſcriptum vobis verum ſurripuerint, ſic vos penè omni Verbo Dei ſpoliârunt.



DE-



DECEPTIO IV.
Acatholicorum ab eorum hæresiarchis.

Tribus prædictis Hæresiarcharum fraudibus succedit quarta, & quæ vos certò inter illos reposuit, quibus Christus dixit Marci ult. v. 16. *Qui veró non crediderit, condemnabitur.* Adeoque, ubi maximè vobis consulere velle videbantur vestræ religionis Duces, hîc vos maximè defraudârunt.

Quia vobis ablatâ verâ Fide, supposititiam Fidem pro vera obtruserunt.

Multiplici argumento, ut spero, clarissimè id quod asserui, evincam.

Argumentum Primum.

NAm vera Fides habet authorem Deum & Christum, juxta illud Pauli ad Hebr. 12. 2. *Aspicientes in Auctorem Fidei & consummatorem Jesum.*

At

At Lutherus fatetur, se authore Diabolo docuisse, quæ suos docuit. Nam *in libro de Angulari Missa* fol. 228. testatur sese à Diabolo edoctum, Missam esse rem malam, & rationibus Diaboli convictum se abolevisse Missas, & Communionem sub utraque specie induxisse. Hæccine est vera fides, quæ à dæmone inspirata Luthero?

Zuinglius similiter (teste Sleidano *lib.* 1. Imò ipsomet fatente Zuinglio *lib.* quem inscribit, *Subsidium Eucharistiæ*) dixit scripsitq́; se Doctrinam de Cœna accepisse in somnis, & quâ ratione Eucharistiæ Veritatem impugnaret, edoctum se à quodam monitore spiritu, sed se ignorare, albus an ater fuerit; à quo didicit, illud verbum, *Hoc est corpus meum*, debere sic exponi, *Hoc significat corpus meum*. Hinc Schlusseburgius ait Zuinglio doctrinam hanc à dæ-

mone inſpiratam. O auctorem fidei Sacramentariorum!

Item de Martino Bucero ſcribit ipſe quondam ejus Magiſter Lutherus in Colloquio VVittenbergenſi, & refert Sanctes, Malignum eſſe Spiritum, qui eum edocuit negare Chriſti corpus & Sangvinem verè ac re ipſa in Euchariſtiæ Sacramento exiſtere.

Cum item Calvini doctrina de Euchariſtia ſit eadem quæ Zuinglii, & idem Calvinus cum Bucero literis pluribus religionis fœdus ſanxerit, & librum integrum ſcripſerit de ſuo cum Zuinglianis in materia Sacramentorum conſenſu, adeò, ut Beza *Epiſt. 1. ad Andream Dudithium* calumniatores vocet, qui ajunt non benè Calvinum cum Zuinglio conſentire; Præterea cùm idem Calvinus (*lib. 1. de lib. arbitr. contra Albertum Pighium*) pro inſigni Apoſtolo Chriſti habeat

Luthe-

Lutherum; Hinc ut Buceri, Zuingliiq; doctrina est à dæmone inspirata; etiam Doctrina Calvini, qui cum illis se consentire dicit, & Lutheri fidem approbat ceu ab Apostolo Christi Profectam. Hinc ipse David Paræus Doctrinam Calvinisticam ait Zuinglio à dæmone instillatam.

At quomodo sit vera Fides, quæ à Patre mendacii Diabolo inspiratur!

Argumentum Secundum.

Lutherus ipsemet lib. contra Anabapt. Fidem Catholicam fatetur esse veram & optimam, cùm ait: *Nos fatemur, sub Papatu plurimum esse boni Christiani, imò omne bonum Christianitatis, atque illinc etiam ad nos devenisse. Quippe fatemur in Papatu veram esse Scripturam, verum baptismum, verum Sacramentum Altaris, veras claves ad remissionem peccatorum, verum prædicandi*

officium, verum Catechismum, ut sunt, Oratio Dominica, Decem Præcepta, Articuli Fidei. Dico insuper sub Papatu veram Christianitatem, imò verum esse nucleum Christianitatis. Hæc omnia Lutherus.

Ergo cùm homo hic subdolus vobis persuaserit contraria Articulis Fidei Catholicæ, quam sicut veram approbat, hoc ipso vobis veram Fidem abstulit, falsam ac supposititiam obtrusit. Nequit enim non esse falsa Fides, quæ veræ opponitur. Hinc

Argumentum Tertium.

VEra Fides juxta Paulum ad Ephes. 4. 6. Est *Una Fides.* Ergo cùm juxta proximè citatum Lutheri textum, sub Papatu sint veri Articuli Fidei adeoq; vera Fides; si insuper V. G. Lutheri Fides utiq; Papali contraria esset tenenda ut vera, Fides esset

ſet una, & non una. Una juxta S. Paulum; non una ob alteram Lutheri Fidem.

Sed independenter ab eo Lutheri ſenſu textuqué diſcurrendo, quomodo Lutheri eſt *Una Fides*, cùm (ut teſtatur Staphylus) adhuc vivente Luthero, Secta Lutheranorum ſit diviſa in diverſas 36. Sectas; Poſtea verò numeratæ fuerint ferme centum diverſiſsſimæ Sectæ à Luthero prodeuntes, nempe Carolſtadianorum, Ubiquiſtarum ſeu Brentianorum, Servetianorum, Oſiandrinorum, Suencfeldianorum, &c. Sub Calvini etiam Secta comprehenduntur Puritani in Anglia ſic dicti, quòd puram ſe Calvini doctrinam tenere profiteantur: Piccarditæ in Boëmia; Geuſii in Belgio: Hugonotti in Gallia. Item Evangelici, qui rejecta traditione, ſolo Evangelio ſunt contenti, & firmiter ſe a unt apprehen-

dere Promissiones Evangelii : Item Sacramentarii, Calvinoturcistæ ; de quibus vide Staphylum.

Item Lucerus primò Catholicus Monachus, pòst Lutheranus, deinde Zuinglianus, iterum Lutheranus, denique novæ Sectæ molitor fuit, quæ cum Lutheranis Sacramentariorum copularet ; teste *Gaulter. pag.* 756. En *Una Fides* ! Item Carolstadius antea Lutheranus, Deinde Berengarianus, & ex addictissimo Fratre Lutheri, hostis ei infensissimus. En quàm *Una Fides*, ac proinde quàm vera !

Argumentum Quartum.

VEra Fides ne in uno quidem puncto Fidei est falsa. Nam tota Fides nititur auctoritate Dei revelantis semper Veracis. Hinc Paulus 1. ad Thessalon. 2. 13. ait : *Cùm à nobis accepissetis verbum auditûs Dei, acce-*

cepi-

cepiſtis illud non ut verbum hominum, ſed, ut eſt verè, Verbum Dei.

At veſtræ fidei auctores plurima apertè falſa docuerunt, quia contra claram ac receptam ab omnibus Scripturam, ut patebit ex argumento ultimo ſtatim afferẽdo: & hic oſtendo.

Sic apertè falſum docet Calvinus loco ſup. citato, expreſſè contra Paulum 2. *ad Corinth.* 5. 14. Dum hæreſiarcha hic dicit Chriſtum non eſſe pro omnibus hominibus mortuum.

Sic apertè contra *Jacob.* 2. aliaq; loca Scripturæ infrà ponenda Lutherus docet Solam Fidem juſtificare.

Sic item Calvinus *Harmon. in Matth.* 27. falsò docet, non futurum Dei Judiciũ de Peccatis noſtris. Quia id expreſſè eſt contra illud Matth. 12. 36. *Omne Verbum otioſum quod locuti fuerint homines reddent rationem de eo in die Judicii.* Et illud ad Rom. 2. 5.

Secundum duritiam tuam & impænitens cor, thesaurisas tibi iram in die iræ & revelationis justi Judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus. Et 2. Cor. 5. 10. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat quisqué propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum.*

Sic idem Calvinus *lib.* 2. *Inst.* c. 8. §. 3. Falsò asserit fidem esse charitate nobiliorem; quia coutra expressam Scripturam 1. Cor. 13. 13. *Nunc autem manent, Fides, Spes, Charitas: tria hæc, major autem horum Charitas.*

Sic idem Calvinus docet apertè falsum (*in Responso de Usuris inter Epistolas num.* 354.) Usuram non esse damnandam: Cùm id sit contra clara Scripturæ testimonia; nam Christus Luc. 6. 35. ait: *Date mutuum, nihil inde sperantes, & eritis Filii Altissimi.* Et Ps. 14. 1. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?* Respondetur: *Qui pecuniam*

am suam non dedit ad usuram. Ibid. v. 5.

Similiter Lutherus (*teste Castr. verbo Baptismus*) Falsò docet, baptismo non deleri peccata; quia id contra Scripturam Act. 2. 38. *Baptizetur unusquisq; vestrûm in remissionem peccatorum.*

Idem Lutherus docet non esse exhibendam obedientiam Prælatis quibuscunq; etiamsi voto promissa foret teste Prateolo, Sed id contra illud ad Ephes. 6. 5. *Obedite Dominis carnalibus, sicut Christo.* Et ad Hebr. 13. 17. *Obedite Præpositis vestris & subjacete eis.* Et illud Psal. 75. 12. *Vovete & reddite, &c.* En quot in punctis falsa manifeste istorum fides!

Argumentum Quintum.

VEra & justificans *Fides* est, *quæ per charitatem operatur.* ad Galat. 5. 6. Item cum sit à Deo inspirata, nihil non sanctum præcipit, ad cultum Dei & amorem virtutum incitat, à vitiis retrahit. Nec enim *arbor bona*, qualis est vera & bona fides, *malos fructus potest facere*, ut ait Christus Matth. 7. 18.

At Lutheri, Calvini, aliorumq́; similium fides excludit bona opera; ab iisdem deterret dicendo illa esse peccata mortalia (ita Lutherus apud Prateolum, Sanderum, ita & Calvinus *lib.* 2. *Inst. c.* 12. §. 4.) Imò opera bona esse æternâ damnatione digna censet Calvinus *in Antidot. Conc. Trid. Seß.* 6. *c.* 11. Eadem illorum Fides docet legem Dei esse impossibilem, ut licentiùs violetur: Nulla flagitia nocere, dummodò fides adsit, ut sic liberiùs in vitia proruatur. Item castitatem,

tatem, vitæ perfectioris studium impugnat. Nam Calvinus cælibatum & vitam monasticam damnat *lib.* 4. *Inst. c.* 13 §. 3. 17. 19. 21. ubi *vota* hæc *captiosa Satanæ retia* vocat. Similiter Lutherus inhibitum ait esse cælibatum, Virginitatem esse rem malam, & Dei mandato adversariam; & *vota monastica* dicit esse *impia*, *diabolica*, *retractanda*, apud Prateol. Sander. &c. Contra clarissima Scripturæ loca, in quibus & castitas laudatur, ut Apoc. 14. 4. *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt.* Et Sap. 4. 1. *O quàm pulchra est casta generatio, &c.* Et 1. ad Cor. 7. 38. *Qui Virginem suam matrimonio non jungit, meliùs facit.* Et studium vitæ perfectioris à Christo non improbatur, sed suadetur: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus*. Matth. 19. 21. Et vota in universum in Scripturis celebrantur. Psal. 115. 14. *Vota*

mea Domino reddam. Et Psal. 75. 12. *Vovete & reddite.*

Hæccine fides est à Deo inspirata, quæ præterquàm quòd licentiorem vitam & vitia non refrenet, adhuc contra ea quæ laudat Spiritus Sanctus in Scripturis, pugnat? O fidem vestram! O fraudem ac deceptionem!

Argumentum ultimum & præcipuum.

Quia hæresiarchæ illam vobis fidem tradiderunt ac persuaserunt, quæ neque ex Scriptura Sacra, neque ex Traditionibus, neque ex Conciliis, neque ex Sanctis Patribus, probari potest.

Hoc argumentum per partes declaro.

§. I.

Hæreticorum Fidem ex S. Scriptura probari non posse.

HOc non tantùm inde deduco, quod Sacram Scripturam pro vestro

Argumentū 6m ultim

ſtro libitu recipitis vel rejicitis ac interpretamini, imo & textus ejusdem veros corrumpitis, ut oſtenſum ſub Titulo, *Deceptio Tertia*: Sed tum ex eo: Quia nullus propriè veſtræ fidei Articulus in Scriptura Sacra habetur, cùm tamen nihil vos velle credere jactetis, niſi quod in Scriptura: Tum ex eo: Quia potiùs Sacra Scriptura propriè veſtræ Fidei contraria eſt, & in omnibus adverſatur.

Primam partem huius rationis; *quod nimirum nullus Articulus propriè* veſ*træ fidei habeatur in Sacris Scripturis*;

Oſtendo per Inductionem.

UBi enim eſt in Scriptura, quòd hi libri è canone Sacrorum librorum ſint ejiciendi, quos ejicitis; recipiendi, quos recipitis?

Ubi in Scriptura, quòd Eccleſia Chriſti univerſalis erraverit vel errare posſit?

Ubi

Ubi in Scriptura, quòd Romanus Pontifex sit Antichristus?

Ubi in Scriptura est, non dari Purgatorium, nec juvari fidelium precibus vitâ functos?

Ubi in Scriptura, per Sanctorum invocationem fieri Christo injuriam? Vel Sanctorum & Christi imagines, & Divorum reliquias esse ejiciendas & nullo honore afficiendas?

Ubi in Scriptura, tantùm tot esse Sacramenta, quot statuitis?

Ubi in Scriptura Impanatio Eucharistica? vel quòd in Eucharistia sit tantùm figura corporis Christi, non ipsum corpus?

Ubi in Scriptura, Missas esse abolendas, vel in Missa non offerri Deo Sacrificium?

Ubi legitis in Scriptura, quòd sumptio Eucharistiæ sub una tantùm Specie panis non conferat vitam æternam?

Ubi

Ubi in Scriptura, Deum esse Auctorem peccati, illudq; velle, ac præcipere ? vel hominem carere libero arbitrio ?

Ubi in Scriptura quòd Præcepta Dei sint servatu impossibilia ?

Ubi in Scriptura, ea quæ docetis de vocatione ministrorum, vel quòd sola fides justificet ?

Ubi in Scripturis quidquam est contra Indulgentias, contra vota, contra cœlibatum, vel quòd status continentiæ sit imperfectior ac deterior Matrimonio ?

Ubi denique in Scriptura, quòd omnes infantes habeant in baptismo fidem actualem ?

Ubi alia quæcunq; propria vestræ fidei dogmata.

Secundam partem positæ hic sub §. 1. rationis; *quod* nimirum *potiùs sit contraria vestræ fidei sacra Scriptura, & in omnibus eidem adverfetur;*

Osten-

Oſtendo per aliam Inductionem.

De Traditionibus adverſatur vobis Scriptura 2. ad Theſſalon. 2. 15. *State & tenete Traditiones, quas didiciſtis ſive per Sermonem, ſive per Epiſtolam noſtram.*

De Ecclesia quam defeciſſe, errâſſe, aut eſſe inviſibilem docetis. Adverſatur vobis Scriptura 1. Tim. 3. 15. *Eccleſia Dei vivi eſt columna & firmamentum veritatis.* Luc. 22. 32. *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.* Joan. 14. 16. *Alium Paraclitum dabit vobis Spiritum veritatis, ut maneat vobiscum in æternum.* Matth. 16. 18. *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam* (Eccleſiam) Matth. 5. 15. *Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita: Vos eſtis lux mundi, &c.*

Eccleſiam Romanam, quam impugnatis, expreſsè Scriptura commen-

mendat ad Romanos 1. 8. quibus Paulus dicit: *Fides vestra annunciatur in universo mundo.* En qualis Romana fides!

De Primatu Petri Et Ejus Successoribus contraria vobis Scriptura Tum Joan. 21. v. 15. Ubi Petro soli dicitur: *Pasce oves meas. Pasce agnos meos.* Tum Matth. 16. 18. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo claves regni cælorum. Quodcunque solveris super terram, &c.* Tum Luc. 22. 32. Petro dicitur: *Et tu conversus aliquando confirma fratres tuos;* Tum ad Ephes. 4. 11. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios Evangelistas, alios Pastores & Doctores in consummationem Sanctorum, donec occurramus omnes in Unitatem fidei.* Ubi vides tamdiu non defuturos in Ecclesia Pastores (quibus utique in Petro dictum, *Pasce oves meas, &c.*) donec oc-

curra-

curramus omnes in unitatem fidei, proinde ad consummationem mundi ac judicii diem. Huc potest & illud referri. Joan. 10. 16. *Erit unum ovile & unus Pastor.*

DE CONCILIORUM AUCTORITATE, cui derogatis, contraria vobis Scriptura tum Actor. 15. 28. ubi in primo Concilio Apostoli dicunt: *Visum est Spiritui Sancto & nobis.* Tum Matth. 18. 17. *Dic Ecclesiæ: Si Ecclesiam non audièrit, sit tibi velut Ethnicus & publicanus.* Et Petro Christus dicit Luc. 22. 32. *Tu confirma fratres tuos.*

DE PURGATORIO ET ORATIONE PRO MORTUIS adversatur vobis Scriptura 1. Cor. 3. 15. *Ipse tamen salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Quod etiam S. Augustinus *Homil.* 16. *ex Homiliis* 50. & Theodoretus *in Scholiis in* 1. *ad Cor.* 3. explicant de igne Purgatorii. Et

Matth.

Matth. 5. 25. *Ne fortè adversarius tradat te Judici, Judex tortori, & mittaris in carcerem: non exies inde, donec reddas ad novissimum quadrantem.* Ubi vides carcerem indicari, de quo exiri possit, sed postquam quis satis passus fuerit aut satisfecerit, hic autem carcer non est infernus, quia ex hoc non datur egressus. Item Psal. 85. dicitur: *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*: Ubi Psaltes innuit alium adhuc esse infernum præter eum quem ob letalia peccata adulterii & & homicidii promeruerat. Et 2. Machab. 12. 46. *Sancta ergo & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* Et illud Christi dictum Matth. 12. 32. rem confirmat, ubi *Peccatum in Spiritum Sanctum* dicit *non remitti neque in hoc, neque in futuro sæculo.* Hic enim indicat aliqua alia in futuro sæculo remitti posse.

De

DE CULTU ET INVOCATIONE SANCTORUM contraria vobis est Scriptura Tum Psal. 138. 17 *Nimis honorificati sunt amici tui Deus*: Tum Josuæ 5. 14. ubi *Josue pronus in terram* coram Angelo *cecidit & adoravit*: Tum Job. 5. 1. *Et ad aliquem Sanctorum convertere.* Tum Machab. ultimo v. 14. *Hic est Jeremias Propheta Dei qui multum orat pro populo.* Quod de mortuo Jeremia dicitur.

DE RETINENDIS IMAGINIBUS ET CULTU RELIQUIARUM adversa vobis est Scriptura Tum Exod. 37. 7. Moyses jussit in Propitiatorio collocari imagines aureas & statuas Cherubinorum? Tum Psal. 33. 21. *Custodit Dominus omnia ossa Sanctorum*: Tum 4 Reg. 13. 21. *Ossa Elizæi cùm tetigisset* mortuus illicò *revixit.* Tum in Act. Apost. 19. 12. Ubi Deus enarratur fecisse prodigia multa per *Sudaria*, *& Semicin-*

micinctia *Pauli.* Et Matth. 14. 36. *Rogabant eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent, & quicunque tetigerunt, salui facti sunt.* Huc de Arca fœderis ex lib. Regum, & de Serpente æneo. Et Psal. 98. 5. *Adorate scabellum pedum ejus.* Et Philip. 2. 10. *In nomine Jesu omne genu flectatur.*

DE SACRAMENTORUM NUMERO contrariæ vobis sacræ literæ. Nam

BAPTISMUS statuitur Matth. 28. 19. *Baptizantes eos in nomine Patris,* &c.

DE CONFIRMATIONE Act. 8. 17. *Petrus & Joannes imponebant manus* baptizatis *& accipiebant Spiritum Sanctum.*

DE SACRAMENTO ORDINIS 1. Tim. 4. 14. *Noli negligere gratiam, quæ tibi data est cum impositione manuum Presbyterii.* Et 1. Tim. 5. 22. *Nemini citò manus imposueris.*

DE

De Extrema Unctione Jacobi 5. 15. *Infirmatur quis? Inducat Presbyteros, & ungant eum oleo, & oratio fidei alleviabit infirmum, & si in peccatis fuerit, dimittentur ei.*

De Matrimonio ad Ephes. 5. 32. *Erunt duo in carne una: Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico, in Christo & in Ecclesia.*

De Sacramento Pænitentiæ Joan. 20. 22. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis; quorum retinueritis retenta sunt.* Et 1. Joan. 1. 9. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus, ut remittat peccata nostra.*

De Veritate Corporis Christi In Eucharistia, contrariatur vobis Scriptura Joan. 6. v. 52. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Luc. 22. 19. *Hoc est Corpus meum quod pro vobis tradetur.* Et 1. Corinth. 11. 27.

Qui-

Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberet calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sangvinis Domini.

DE SACRIFICIO MISSÆ, contraria vobis Scriptura Tum Psal. 109. 4. *Tu es Sacerdos in æternum secundùm Ordinem Melchisedech.* Tum ad Heb. 13. 10. *Habemus Altare.* Utique ad Sacrificium. Tum Luc. 22. 19. *Hoc facite in meam Commemorationem.* Tum Malach. 1. 11. *In omni loco sacrificatur & offertur Nomini meo Oblatio munda.* Tum Act. 13. 2. *Ministrantibus illis Domino.* Ubi Græcè ponitur nomen *Liturgiæ.* Tum ad Hebr. 5. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, ut offerat dôna & sacrificia.*

DE COMMUNIONE SUB UTRAQUE SPECIE contraria vobis Scriptura: Tum quia Evangelium tribuit totum effectum uni Speciei Joan. 6. 59. *Qui manducat hunc Panem,*

vivet

vivet in æternum: Et v. 52. *Si quis manducaverit ex hoc Pane: vivet in æternum.* Tum quia Act. 2. v. 42. tantum unius Speciei fit mentio: *Erant perseverantes in communicatione fractionis Panis & orationibus.* Ubi nihil de Calice: Tum quia 1. Cor. 11. v. 27. dicitur sub disjunctione: *Qui manducat vel bibit indignè, reus erit Corporis & Sangvinis Domini*: Si ergo alterutram Speciem sumens, reus est utriusq; simul, id est *Corporis & Sangvinis*: Ergo sumens alterutram speciem solitariè, sumit utrumque, id est Corpus & Sangninem; proinde satisfacit illi præcepto: Joan. 6. v. 54. *Nisi manducaveritis Carnem, & biberitis Sanguinem, &c.*

DE JUSTIFICATIONE PER SOLAM FIDEM, contraria vobis Scriptura. Tum quia 1. Cor. 13. 2. dicitur: *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

Galat. 5. 6. *In Christo Jesu neque circumcisio quidquam valet, nec præputium, sed fides quæ per charitatem operatur.* Et Jacob. 2. 20. *Fides sine operibus mortua est.* Tum quia Scriptura tribuit aliis actibus & operibus justificationem. Tribuit Timori Dei. Eccl. 1. 28. *Qui sine timore est, non poterit justificari.* Tribuit Dilectioni 1. Joh. 3. 14. *Qui non diligit, manet in morte.* Et *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm.* Luc. 7. 47. Tribuit Spei Psal. 36. 40. *Salvabit eos, quia speraverunt in eo.* Tribuit Pœnitentiæ Luc. 13. 5. *Nisi pænitentiam egeritis, omnes peribitis.* Tribuit observationi mandatorum. Psal. 118. 21. *Maledicti qui declinant à mandatis tuis.* Item operibus misericordiæ Matth. 25. 34. *Venite benedicti, &c. Esurivi enim & dedistis mihi manducare* v. 41. *Discedite maledicti in ignem æternum.* E*surivi enim, & non dedistis mihi manducare : nudus eram &*

non cooperuistis me, &c. Ubi manifestè aliud quid, præter fidem Christus exigit. Et Matth. 16. v. 27. Opera præter fidem requiruntur: *Reddet unicuiq. Secundum opera ejus.*

PRÆCEPTA DEI ESSE AD OBSERVANDUM IMPOSSIBILIA DICITIS. At Scriptura contraria est. 1. Joan. 5. 3. *Et mandata ejus gravia non sunt.* Et Matth. 11. 30. *Jugum meum svave est, & onus meum leve.* Et Philip. 4. 13. *Omnia possum in eo qui me confortat.* Et 1. Cor. 10. 13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* Et Ezech. 36. 27. *Faciam ut in præceptis meis ambuletis.* Item Luc. 1. 6. *Erant justi ambo incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela.* Et Psal. 118. 68. *Servavi mandata tua & testimonia tua.*

DE LIBERO HOMINIS ARBITRIO adversatur vobis Scriptura, quæ illud homini concedit.

Gen.

Gen. 4. 7. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Et 1. Cor. 7. 37. *Qui statuit in corde suo, non habens necessitatem, potestatem autem habens voluntatis suæ, quod vult faciat.* Et Eccl. 15. v. 14. 15. 16. 17. *Deus hominem reliquit in manu consilii sui, adjecit mandata sua: Si volueris mandata servare, conservabunt te. Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris, porrige manum.* Et Rom. 7. 18. *Velle* quidem *adjacet mihi.*

DE CÆLIBATU ET CONTINENTIA adversatur vobis Scriptura 1. Cor. 7. 38. *Qui matrimonio jungit Virginem suam, benè facit; & qui non jungit, meliùs facit.* Et ibid. v. 1. *Bonum est homini mulierem non tangere.* Et v. 27. *Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem.* Et v. 8. *Dico non nuptis & viduis, bonū est illis si sic permaneant, sicut & ego.* Et 1. Tim. 5. 23. *Teipsum castum custodi.* Et Tit. 1. 7. 8. *Oportet Episcopum esse continentem.* Et Matth. 19. 12. *Sunt eunu-*

chi qui *seipsos, &c.* Alia testimonia posui supra.

DEUM NON ESSE CAUSAM ET AUTOREM PECCATI docet contra vos Scriptura Psal. 5. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Et Ezech. 18. 23. *Numquid voluntatis meæ est mors impii? Nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat.* Et. Jerem. 19. 5. *Ædificaverunt excelsa Baalim, quæ non præcepi eis, nec ascenderunt in cor meum.* Et 1. ad Thessalon. 4. *Hæc est voluntas Dei, Sanctificatio vestra.* Et 1. Joan. 3. 8. *Qui facit peccatum, ex Diabolo est.* Plura testimonia *vide Decept. 1.* Contra Calvinum initio.

SOLAM INCREDULITATEM ESSE PECCATUM nullumq; aliud peccatum inferre damnationem, docuit Lutherus *cap. de Baptismo*: At Scriptura contraria est 1. Cor. 6. 9. 10. *Nolite errare: neque fornicarii, nec idolis servientes, neq; molles, neq;*

neq; fures, nec avari, nec ebriosi, nec maledici, neq; rapaces regnum Dei possidebunt.

QUOD ROMANUM PONTIFICEM PROTERVE JACTATIS ESSE ANTICHRISTUM, repugnat Scripturæ. Nam Antichristus, de quo ait Scriptura, *vel est* una Persona; & sic eo ipso refellimini, quòd Romani Pontifices tot fuerint à Petro, non unus: *Vel nomine* Antichristi intelliguntur plures Personæ; & sic etiam non conveniunt ulli Romano Pontifici ea quæ in Scriptura prædicuntur de Antichristo. Namq; 2. ad Thess. 2. 8. est de illo: *Tunc revelabitur ille iniquus, homo peccati, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui & destruet illustratione adventus sui.* Hìc Antichristus dicitur futurus proximè ante diem Judicii seu illustrem adventum Christi ad Judicium: At Romani Pontifices tam pridem præsunt, nec illis id evenit, quod hìc præ-

dicitur. Sed nec illæ denominationes illis conveniunt, *Iniquus, homo peccati*; cùm inter Romanos Pontifices, tot numerentur Sancti post Sanctum Petrum, nempe 71.

Item de Antichristo prædicitur *Apoc.* 13. 5. & *apud Danielem* 7. 25. Quòd ejus tyrannis duratura sit tribus annis & dimodio. At verò Pontifices Romani tot, attigerunt prope annos 20. in Pontificatu, plures paucioribus annis Ecclesiæ præfuêre, imò tantum diebus aliquot:

Item Antichristus occidet Enoch & Eliam, qui post tres dies & dimedium resurgent. Ut colligitur ex *Apoc.* 11. 7. Quod Romanis Pontificibus ut non evenit, sic non convenit.

Item Antichristus juxta Apostolum se efferet *super omne quod dicitur Deus*. 2. Thessal. 2. 4. At Romano Pontifici id non quadrat, qui humani à se nil alienum putat, & Dei super omnia cultum promovet. Quod

Quod si 1. Joan. 2. 22. dicitur: *Qui negat Patrem & Filium, hic est Antichristus*; nec istud convenire Romanis Pontificibus satis patet, qui Divinas Personas cum Ecclesia glorificant & exaltant. Potius id hæresiarchis nomen convenit, qui, ut ostensum sub *Deceptione prima & secunda*, eo ipso quòd ea quæ sunt veri Dei & Christi propria, videntur inter illos negantes Patrem & Filium adscribi jure merito posse.

¶ Ex hactenus dictis Patet, Sectariorum fidei Scripturam adversari; proinde non inniti testimonio ac revelationi Divinæ, ideoq; esse nullam.

Addo adhuc §. I.

Tantùm abest, ut fides Sectariorum ex Scripturis probari possit; etiam id nolunt. Quia Scripturæ testimonia quantùm curent;

Constat inprimis ex Luthero, qui in Galat. 3. ante medium to. 5. fol. 345.

345. ait: *Nil moror Scripturæ locos, si etiam sexcentos producas pro justitia operum, contra fidei justitiam, & clamites Scripturam pugnare: Ego habeo auctorem & Dominum scripturæ, tu urges servum, id est, Scripturam; hunc Servum relinquo tibi.* Hæc Lutherus; quæ si quicunq; sanæ mentis consideret, quis ejus doctrinæ fidem habeat?

Constat etiam ex Calvino, qui ait blaspheme Scripturam Sacram (quæ utique est verbum & loquela Dei veracis ac primæ Veritatis) non esse ex sese certam ac falsitatis expertem. Nam lib. 1. Instit. c. 8. §. 13. edit. Latin. §. 12. edit. Gall. ait: *Tum vere demum ad salvificam Dei cognitionem Scriptura satisfaciet, ubi interiori Spiritus Sancti persuasione fundata fuerit ejus certitudo.* En à Spiritu privato dependet Scripturæ Divinæ certitudo juxta Calvinum.

§. 2. *Hæ-*

§. 2.

Hæreticorum fidem à nullo alio extrinseco loco probari posse.

Hactenus Argumenti ultimi pars prima probata est: nunc secundam probo; nempe quòd Sectariorum fides propria nec à Traditionibus, nec à Conciliis, nec à SS. Patrib. probari possit, quod etiam per partes declaro.

I. Nequit probari Sectariorum Fides ex Traditionibus.

TUm quia Traditiones rejiciunt contra doctrinam Pauli supra insinuatam; Tum quia Traditiones contrariam eorum fidei proponunt in plerisque fidem, ut patebit ex ultimo hujus libelli §. Atque sic fides illorum nec nititur verbo Dei scripto, ut proximè probatum; nec Verbo Dei tradito.

Imò hinc obiter infero, Sectarios contra conscientiam & contra suam fidem (quæ illos docet Traditiones

rejicere) multa credere: Scilicet dum recipiunt creduntq; aliqua, quæ tantùm ex Traditione habemus & credimus. V. gr. dum recipiunt Symbolum Apostolorum, Baptismum Parvulorum, cùm diem Dominicum non Sabbatum colunt, cùm Pascha post Lunam 14. Æquinoctii celebrant, cùm perpetuam Virginitatem Beatæ MARIÆ profitentur: Dum censent hæreticos non rebaptizandos, item formam baptismi ore proferendam esse, dum Sacram Scripturam hanc quæ exstat, habent pro Sacra Scriptura, &c. &c.

II. *Fides Sectariorum non nititur Conciliis.*

QUia Conciliis auctoritatem derogant & Pontifici ea approbanti; imò Ecclesiam errare posse dicunt, contra allatam Scripturam §. *superiore*. Hinc Conciliorum etiam generali-

ralium & antiquisſimorum apud illos nulla veneratio vel auctoritas; quod vel inde collige, quòd Calvinus rejiciat illud Nicæni Concilii: *Deum de Deo, lumen de lumine*, dicatq; Christum Deum ex ſeſe, ut ſupra. Similiter Lutherus *Lib. de Conciliis* ait ſe non intelligere Spiritum Sanctum in Concilio Nicæno.

Equidem ſi cum Conciliis ſentirent, ſtatim fidem ſuam ejurare tenerentur. Nam prima quatuor Concilia, quibus in Eccleſia ceu Divinis vocibus honor eſt habitus, eorum fidei è diametro opponitur: Nicænum enim *Concilium can.* 6. & *Chalcedonenſe Act.* 4. & 16. Item *Conſtantinopolitanum cap.* 5. agnoſcunt in Romano Pontifice Primatum & omnium Eccleſiarum regimen.

Incruentum Altaris Sacrificium confitetur *Epheſinum Concilium epiſt. ad*

Nestorium. Invocationem Sanctorum approbat *Chalcedonense Act*. II.

Purgatorium & orationem pro defunctis probat *Concil. Lateranense cap*. 16. & *Florentinum Sess. ultimâ*.

Sacrorum librorum Canonem receptum nunc, agnovit *Concilium Romanum celebratum Anno Domini* 492. & ante hoc *Carthaginense secundum*.

Contra Iconoclastas pro Imaginum Sacrarum cultu se opponit *Constantinopolitanum IV. can*. 3. ubi affuêre Episcopi 383.

Atque hinc manifestæ contradictionis arguitur Calvinus, qui ea quæ Concilia prima 4. Generalia definiunt, non recipit, & tamen l. 4. Inst. c. 9. §. 8. dicit: *Priscas Synodos ut Nicænam, Constantinop. Ephesinam, Chalcedonensem & similes libenter amplectimur, reveremurq; ut Sacrosanctas, quantum attinet ad fidei dogmata: nihil enim continent, quàm puram & nativam Scripturæ*

pturæ interpretationem, quam Sancti Patres Spirituali prudentia ad frangendos Religionis hostes, accommodârũt. Hæc ille.

Omnes item Sectariorum errores damnati ab Oecumenico Concilio Tridentino. Sed hi Concilia etiam illa antiqua, quæ celebrata sunt tempore adhuc secundùm ipsos incorruptæ fidei non audiunt, obliti Sententiæ Christi Matth. 18. 17. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & Publicanus.*

III. Fides Sectariorum non nititur Patrum testimoniis.

TUm quia antiquissimi Patres & Ecclesiæ Doctores ea omnia profitentur in suis libris, quæ modò Ecclesia Catholica credit & profitetur, & in quibus dissidet à Sectariis, ut in fine hujus libelli afferam clarissimè: Tum quia apud hæresiarchas nulla fere est Patrum auctoritas & reverentia:

rentia: Nam Lutherus lib. contra Regem Angliæ dicit: *Nihil facio mille Cyprianos, mille Augustinos*, planè juxta illud Proverb. 18. 3. *Impius cùm in profundum venerit, contemnit.*

Calvinus hîc Luthero non melior. nam *lib. 8. Inst. c. 4.* § 38. *& cap. 5.* §. 10. ait Veteres Patres errasse in rebus fidei, & solum æstimat *Augustinum*, à quo tamen in tot mysteriis ac veritatibus recedit.

Magdeburgenses *Divum Cyprianum* vocant stupidum & Deo destitutum ac depravatorem Pænitentiæ.

Causæus non est veritus discipulum Apostoli Pauli *Dionysium Areopagitam* vocare delirum senem: *Nazianzenum* vocat fabulatorem: *Divum Ambrosium* à dæmone fascinatum: *Divum Hieronymum* æquè damnatum ac Diabolum, injuriosum Apostolo, blasphemum, sceleratum, impium.

Deus bone! quæ in Sanctos blasphe-

phemiæ! Sed cur ita? Quia hi Patres nobiſcum docent à tot ſæculis omnia illorum erroribus contraria.

Deniq; Gregorio Maſſovio pluris eſt unus Calvinus, quàm centum Auguſtini.

Ex dictis Infero ;

Cùm veſtra fides, ô Sectarii, nec Scripturæ Divinæ, nec Traditionibus, nec Conciliis, nec Auctoritati antiquorum Patrum & Eccleſiæ Doctorum innitatur:

Ergo veſtra fides eſt nulla fides, ſed commentitia, fictitia, novitia.

Ulterius infero:

Ergo cùm vobis talem fidem perſuaſerint hæreſiarchæ, falſam vobis fidem obtruſerunt, verâ ſublatâ. Prô! qualis faſcinus! quanta & quàm pernicioſa hîc veſtri deluſio!



DE-



DECEPTIO V.
Acatholicorum ab eorum hæresiarchis.

Gravis & ille fascinus, & intolerabilis impostura est, quâ prædicti vestræ fidei Parentes vobis illusêre: *Quia Incredibilia, Contradictoria, nec secum cohærentia: item Absurda vobis credenda & tenenda tradidêre:*

Cùm tamen de mysteriis veræ fidei dictum sit Psal. 92. 5. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis; *nec Deus qui est summa & prima ac sapientissima veritas*, sibi *contradicere possit: nec quidquam absurdum ab illius bonitate ac sapientia proficisci queat.*

Quod de vestris asserui, probo; illud præmonens.

Etsi seorsim afferam incredibilia & absurda, tamen etiam pleraque incredibilia inter absurda esse referenda & è contrà.

II. Incredibilia docent Lutherani.

I.

Q*uis credat*, omnes Christianos esse

esse æquè Sanctos, ac est MARIA? maximè cùm illam Angelus reliquis manifestè præferre videatur. Luc 1. 28. *Benedicta tu in mulieribus.* Tamen Beatæ Virgini omnes æquiparat Lutherus. *Serm. de Natali B. V.*

II. *Quis credat*, omnes Infantes habere fidem actualem & usum rationis tunc cùm vix nati baptizantur? At docent id Lutherani.

III. *Quis credat*, quemcunque puerum ac fœminam habere potestatem absolvendi à peccatis, non magis quàm Episcopus habeat? Tamen id docet Lutherus *Artic.* 13.

IV. *Incredibile est*, quòd justus in omni omnino opere bono peccet; maximè cùm Jacob. 3. 2. dicatur: *In multis offendimus omnes*, non *In omnibus*. At Lutherus id docet *tom.* 1. *pag.* 141.

V. *Incredibile est*, nihil saluti enormissima quantumvis obesse flagitia, nisi solam incredulitatem; cùm non minùs

minùs V. G. Odium Dei actuale vel virtuale ſit contra Bonitatem Dei, ac incredulitas contra veracitatem Dei; nec offenſa Bonitatis per odium excuſabilior ſit coram Deo, quàm veracitatis offenſa per incredulitatem. Et tamen illud docet Lutherus apud *Caſtr. v. Peccatum.* Solam incredulitatem obeſſe ſaluti, non item alia ſcelera.

VI. *Incredibile eſt*, continentiam & caſtitatem eſſe coram Deo deteriorem ſtatu conjugali, cùm & contrarium ex Sacris Scripturis ſuprà attulerimus; & Chriſtus perfectiora utique ſectatus & perfectioris vitæ normam in ſe tradens, cœlibatum ſuo exemplo & doctrinâ conſuluerit Matth. 19. 12. *Qui poteſt capere, capiat, &c.* Tamen Lutherus deteriorem cenſet caſtimoniam, eſſequè illam ut plumbum reſpectu ſtatûs conjuga-

lis

lis, qui illi est respectivè ceu aurum. *Vide Castrium* V. Virginit. *Prateolum.*

VII. *Quis credat*, nihil discriminis esse inter Consilia est Præcepta Dei, eaq; omnia quæ in Evangelio commendantur esse præcepta, nihilq;Deo gratũ esse, nisi quod ipse præceperit, ac consequenter Consilia esse interdicta? Tamen id Lutherus docuit apud auctores proximè citatos. Cùm tamen & illa verba Christi per se manifestè distincta sint aliterq; obligent, *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; Matth. 19. 17. Quàm illa: *Si vis perfectus esse, vende omnia & da pauperibus, &c.* Matth. 19. 21. Et Christus consulat continentiam *Matth.* 19. 12. tamen illa juxta Lutherum sit Dei mandato adversaria. *Castr. Prateol.*

VIII. *Quis assentiatur Luthero*, utpote contra illud Pauli 1. Cor. 11. 28. *Probet autem seipsum homo & sic de Pane illo edat, qui enim manducat & bibit indignè*

digne, reus erit, &c. quis, inquam, illi credat, Eucharisticæ Communioni non esse præmittendum peccatorum examen aut confessionem ullamvè pœnitentiam à quovis peccatore. Sed sufficere fidem quâ quis credat & confidat se in ea gratiam percepturum. Tamen id Lutheri dogma est, apud *Castr. V. Eucharistia.*

IX. *Paradoxum & illud incredibile est*; peccatorem verè absolvi, dummodo se absolutum seu remissa sibi peccata credat, etsi contritione careat nec seriò sed joco tantum à Sacerdote absolvatur: Docet tamen id Lutherus apud *Castr. V. Absolutio.*

X. *Incredibile est*, jejunium nullius esse meriti, cùm & Tob. 12. 8. dicatur: *Bona est Oratio cum Jejunio, &c.* Et Ninivitarum Jejunium Deum placaverit *Jon.* 3. & Joel 2. 12. *Convertimini ad me in jejunio & fletu, &c.* Tamen Lutherus docuit teste *Castr. V.*

Ci-

Cibus hær. 2. Jejunium nullius esse meriti.

XI. *Quis credat*, quòd nefas sit cum Turcis bellum gerere, & hoc sit Divinæ Voluntati refragari nos per illos punienti?

Item quòd petere apud judicem ut tuum jus æquetur, sit illicitum:

Item quòd omnes Christiani utriusq; sexûs sint Sacerdotes, & quod fœminæ ad Sacerdotium possint promoveri, & quòd omnes habeant eandem circa verbum & Sacramenta potestatem: Tamen omnia hæc docet Lutherus teste eodem Castrio *V. Bellum V. Sacerdotium: V. mulier.*

II. Incredibilia docent Calvinistæ.

I.

INcredibile est, quòd Deus homines ad æterna supplicia sine ulla ipsorum culpa præordinet. Cùm id videatur à Bonitate Dei & suavi Providen-

dentia alienum : Tamen ſic docet Calvinus *lib.* 3. *Inſt. c.* 23. §. 2. Homines prædiſtinari ad damnationem.

II. *Quis credat*, quòd Deus miris modis illudat hominibus, ſimulans ſe velle eos juvare, cùm nihil minùs velit? Docet tamen id Calvin. *l.* 3. *Inſt. c.* 24. §. 13.

III. *Quis credat* omnes filios fidelium eſſe Sanctos ab utero materno, ac proinde non egere baptiſmo contra illud Joan. 3. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non intrabit in regnum cælorum.* Tamen illud docuit Calvinus *in Antid. Conc. Trid. Seſ.* 6. *c.* 5.

IV. *Quis credat* furtum unius oboli vel minimum verbum otioſum eſſe peccatum mortale & æternâ damnatione non minùs dignum, quàm furtum mille aureorum vel enormisſima ſcelera. Tamen id videtur docere Calvinus lib. 2. Inſt. c. 8. §. 59.

§. 59. ubi ait : *Habeant filii Dei omne peccatum, mortale esse.*

V. *Paradoxum incredibile est*, quòd in Ecclesia Christi soli contineantur Prædestinati ac electi, iiq; universi; cùm id sit contra parabolam in Evangelio de 10. Virginibus 5. prudentib. quinq; fatuis *Matth.* 25. & contra parabolam de Tritico & Zizaniis *Matth.* 13. & de sagena congregante ex omni genere piscium bonos & malos *Matth.* 13. Tamen Calvinus istud paradoxum docet. *l.* 4. *Inst. c.* 1. §. 7.

VI. *Incredibile est* concupiscentiam seu primum motum qui consensum antecedit, quiq; non est in nostra potestate, esse peccatum; cùm ad id requiratur Voluntarium liberum? Tamen illud censet Calvinus *lib.* 3. *Inst. c.* 3. §. 10. Imò & Lutherus idem docet apud Sanderum.

VII. *Quis credat* Calvinistis dicentibus, quòd ex toro illegitimo nati æternæ

ternæ damnationi ſint obnoxii nec ad baptiſmum admittendi? ex qua id Scriptura vel revelatione deprompſerunt? Maxime cum Act. 10. 34. dicatur non eſſe *acceptor Perſonarum Deus*. Et ad Gal. 3. 28. *In Chriſto non eſt Judæus neq; Græcus, &c.* Tamen id *in Synodo Vilnenſi Anno Do.* 1589. *die* 11. *Martii* Calviniſtæ definiêrunt.

VIII. *Quis credat* nihil ineſſe meriti bonis operibus & obſervationi mandatorum contrarium toties aſſerente Scripturà. Tamen ita cenſet Calvinus *lib.* 3. *Inſt. c* 15. 16. 17. 18.

IX. *Quis credat* quod Deus occultâ vi impellat hominem, neceſſitet ad omnia flagitiorum genera perpetranda, ut habeat occaſionem eos puniendi ac damnandi? Contra illud Jac. 1. 13. *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum eſt, ipſe autem neminem tentat*. Et contra illud Eccl. 15. 21. *Nemi-*

ni

ni mandavit Deus *impiè agere.* Tamen ita Calvinus docet *lib.* 1. *Inst. c.* 18. §. 2. Contra Deum blaterat & blasphemat.

X. Quis credat fidem nunquam posse amitti (maximè cum Paulus 1. Tim. 4. 1. dicat: *In novissimis temporibus discedent quidam à fide.*) Tamen id docuit Calvinus in *Harmon. in Matth.* 13.

XI. Quis credat, Deum aliquos creâsse ut peccarent, & ut damnarentur. Maximè cum Sap. 11. 25. dicatur: *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti: nec enim odiens aliquid fecisti aut constituisti.* Et Prov. 1. 4. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Et 1. Tim. 2. 4. *Omnes homines vult salvos fieri.* Tamen illud incredibile docet Calvinus *l.* 3. *Inst. c.* 23. §. 3. 4. 5. 7. 9.

XII. Quis credat Deum impossibilia præcipere? docet id Calvinus

 dum

dum legem Dei dicit impossibilem *l.2. Inst. c. 7. §. 5.* Adeoq; Harmon. in Matth. 22. ait: *Deus in Legis præceptis non respicit quid possint homines, sed quid debeant, &c.*

§. II.

I. Contradictoria nec secum cohærentia docent Lutherani cum suo antesignano.

I.

LUtherus negabat honorandos aut invocandos esse Sanctos: Teste Castrio *V. Sancti.* Tamen sibi contradicit tum in responsione ad Lovanienses, ubi ait: *Non negavi unquam nos meritis & precibus Sanctorum juvari.* Tum in Postilla majore in die Nativitatis B. MARIÆ, ubi ait: *Intercessionem MARIÆ amplectimur & reliquorum Sanctorum.*

II. Dicit Lutherus *to. 5. prope finem,* Cælibatum in se esse multò viliorem

liorem matrimonio. Et addit: *Verum profecto est, eum lenonem esse oportere, qui matrimonium fugiat; & qui aliter eveniret?* Item *lib. contra Ambros. Catharinum*; ait esse faciem Antichristi, cælibatum, &c. Tamen sibi contradicit Serm. de matrimonio, ubi ait: *Nec ideò cælibatum & Virginitatem reprobare mihi animus est, nec inde quenquam ad jugale vinculum invitare.* Et Paulò post: *Continentia in terris est melior, ut cui minus solicitudinis & calamitatis insit: Et Dei Verbum ejusq́ ministerium cælibatum matrimonio anteponunt.* En contradictio clara!

III. Dicit Lutherus *in fine Captivit: Babylon:* Pœnitentiam non esse Sacramentum; At sibi contradicit, nam initio ejusdem libri ait: *Tantùm tria sunt Sacramenta pro tempore ponenda, Baptismus, Pænitentia, Panis.*

IV. Lutherus *lib. de Missa privata, & lib. ad Valdenses, de Euchar.* Negat

 Pur-

Purgatorium: At ſibi contradicit Diſput. Lipſicâ tract. de Purgatorio, ubi ſic ait: *Ego qui credo fortiter, imo auſim dicere, ſcio Purgatorium eſſe, facile perſuadeor in Scripturis de ea fieri mentionem.*

V. Lutherus *in Præfat. Bibl. & in Aſſertionib. Act.* 37. rejicit libros Machabæorum ceu nullius auctoritatis. Contradicit ſibi, dum prædicto tract. de Purgator. ait. *Admitto & illud* 2. Mach. 12. *Sancta & Salubris cogitatio pro defunctis exorare, &c.*

VI. Lutherus *Serm. de Cruce. SS.* Reliquiarum uſum & obſervantiam impugnat. At to. 7. fol. 236. ſibi contradicit dicens: *Ubicunque fuerunt illæ verè Sanctæ & Sanctorum reliquiæ; ibi fuit & eſt vera Sancta Chriſti Eccleſia, ibi manſerunt Sancti.*

VII. Lutheri Secta Imagines ſacras impugnat: Contradicit ſibi *in to.* 7. *operum Lutheri fol.* 236. ubi ille appro-

probat morem ſub Papatu obſervatum, ut in mortis agone conſtitutis imago oſtendatur Crucifixi, & admoneantur Mortis & Sangvinis Chriſti.

VIII. Lutherus Eccleſiam Romano-Catholicam innumeris contumeliis proſcindit, & eâ deſertâ aliam fundat, illam erroris arguit impudenter: Contradicit ſibi; nam *lib. de Miſſa privata & Unctione Sacerdot. to. 7. fol.* 236. ait: Veram Eccleſiam Servatam eſſe ſub Papatu; eamq; vocat veram Eccleſiam Chriſti, fundamentum & columnam veritatis & locum Sancroſanctum.

IX. Lutherus *in Præfatione Aſſertionis Articulorum à Leone Papa damnatorū* dicit, Scripturam ſacram eſſe facillimam per ſe, apertisſimam, & clariorem omnium Patrum commentariis. At ſibi contradicit Præfat. in Pſalmos, ubi ait: *Scio eſſe impu-*

dentissimæ temeritatis eum qui audeat profiteri unum Scripturæ librum à se in omnibus partibus intellectum.

X. Lutherus ait hominem carere libero arbitrio; adeoq; *Art.* 36. ait Satanâ Magistro in Ecclesiam venisse hoc nomen, *Liberum Arbitrium* : Dicitq; nos circa hunc Articulum insanire. At sibi contradicit lib. de Votis Monasticis dicens sic esse vovendum : *Voveo castitatem usq; ad mortem liberè, id est, ut mutare possim, quando volo.* Hæc sibi non repugnant?

II. Contradictoria nec secum cohærentia docent Calvinistæ cum suo antesignano.

I.

CAlvinus *lib.* 1. *Inst. c.* 18 §. 3. dicit Deum esse auctorem peccati. At sibi contra dicit in Instructione contra Libertinos c. 14. cum ait : *Temulenti isti à Deo omnia fieri perstrepentes, eum*

eum mali authorem constituunt; Deum à se abnegari oporteret, & in Diabolum transmutari, ut malum efficeret, quod ei ab illis tribuitur.

II. Calvinus *lib. 4. Inst. c. 1. §. 4* docet neminem salvari extra Ecclesiam visibilem, ad quam neminem admitti nisi per Baptismum dicit *ibidem* §. 7. At sibi contra dicit *c.16.§.24. 25.* ubi filios fidelium docet salvari posse sine Baptismo. Conciliate hæc.

III. Calvinus *in Consensione de re Sacramentaria* dicit non esse Corpus Christi præsens in Eucharistia, sed tantum in cœlo. At contradicit sibi in caput 11. 1. ad Corinth. dicens: *Christus visibile illud Symbolum nobis porrigendo, unà dat etiam nobis suum Corpus, neque enim fallax est, qui vacuis nos figuris ludat. Et lib. 4. Inst. c. 17. §. 9.* expresse concedit veram & substantialem Corporis ac Sangvinis Domini communicationem sub sacri cœ-

næ Symbolis, ita ut non imaginatione tantum vel mentis intelligentiâ præcipere, sed reipsâ frui in alimentum vitæ æternæ intelligamur. Similiter Beza dicit *in secunda parte Quæstionum* 4. 84. tantum fide manducari Christum: At contradicit sibi; nam *q.* 32. negat hæc mysteria esse imaginaria; Et *in Confessione fidei in colloquio Pissiacensi* ait se credere, reipsâ, substantialiter seu in propria Substantia verum ibi Corpus Christi & Sangvinem esse, ac sumi à fidelibus.

IV. Calvinus Sanctorum cultum prohibet *lib.* 1. *Inst. c.* 11. *&* 12. At sibi contradicit lib. de reformat. Ecclesiæ dicens: *MARIAM honoramus, Magistram omnium.*

V. Calvinus contra cultum Sacrarum Imaginum insurgit *lib.* 1. *c.* 11. *&* 12. At contradicit sibi ibid. dicens: *Nec tamen eâ superstitione teneor, ut nul-*

las

las prorsus imagines ferendas censeam. Et *in Exod.* 20. ait stultum esse, damnare sculpturas & picturas quaslibet. Et *in Exod.* 25. concedit fuisse Cherubinorum imagines alatas, &c. Et *in Numer.* 21. ait Serpentem æneum fuisse typum Christi, & instar pretiosi thesauri repositum, multisq; sæculis diligenter servatum in Sanctuario Dei. Et *in Psal.* 105. ait Arcam fœderis fuisse imaginem Dei, cui quisnam honor à Josue omnibusq; Senibus Israel sit exhibitus, scimus. *Item* in Sacramento Eucharistiæ dicit tantum esse figuram & imaginem Corporis Christi (*l.* 4. c. 17.) tamen *ibidem* §. 33. ait Eucharistiam dignam esse quæ omni reverentiâ exaltetur.

VI. Calvinus *lib. de Psychopannychia* docet Sanctos non futuros in cœlesti beatitudine ante Judicii diem. Et *lib.* 3. *Inst. c.* 25. §. 6. At sibi contra-

tradicit *in eadem Psychopannychia* dicens ex Apostolo, nos sensuros Dei præsentiam cùm abhoc corpore separabimur, nec per fidem ambulaturos sed per speciem.

VII. Calvinus *lib.*3. *c.*17. §. 8. dicit, hominem omni operum adminiculo exutum, solâ fide justificari. At sibi contradicit l. 3. c. 16. §. 1. *Non enim, inquit, aut fidem somniamus bonis operibus vacuam, aut justificationem, quæ sine iis constet.*

VIII. Calvinus impugnat Jejunia tum Harmon. in Matth. 4. ubi ait: *Mera stultitia est, jejunium Quadragesimæ in Christi imitationem instituere*: Tum *l.* 4. *c.* 12. § 16. dicens: Jejunium nullius esse per se momenti. *Et* §. 21. *ibid.* ait esse impias leges quibus interdicitur carnium usus. *At sibi* contradicit Harm. in Matth. 4. dicens: *Utinam Jejuniorum inter nos usus frequentior, modò idem purus foret!* Et l. 4. Inst.

c. 12.

c. 12. §. 15. ait: *Sanctum ac legitimum jejunium tres habet fines, &c.* Et lib. 4. c. 10. §. 21. 22. ait: *Esum carnium die Veneris, ubi Fratrum Scandalum seu offensio accedit, sine delicto admitti non posse.*

IX. Calvinus Cœlibatum, Virginitatem & continentiam insectatur acriter tum *Harm. in Matth.* 19. tum *in* 1. *Cor.* 7. At *contradicit* sibi in 1. Cor. 7. 7. dicens: *Præclarum donum est Virginitas, fateor.* Et ibid. in versum 38. ait: *Summa totius Disputationis huc redit, meliorem esse cælibatum Conjugio, quia in illo major sit libertas, ut expeditiùs homines serviant Deo.*

X. Calvinus lib. 4. Inst. c. 9. §. 8. dicit: *Priscas illas Synodos, Nicenam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, Chalcedonensem & similes quæ confutandis erroribus habitæ sunt, libenter amplectimur reveremurq; ut Sacrosanctas, quantum attinet ad fidei dogmata. Nil enim continent, quàm puram & na-*

tivam Scripturæ Interpretationem. At sibi contradicit, quia ea dogmata fidei negat, quæ hæ Synodi profitentur, ut de Filii Dei generatione de Deo: Item de Primatu Romani Pontificis, de Sacrificio Altaris, de Sanctorum invocatione, de Purgatorio & Oratione pro defunctis, &c.

XI. Calvinus ut neget Petrum Romanæ Ecclesiæ præfuisse, negat illum Romæ fuisse *in primam Petri* 5. At sibi contradicit l. 4. Inst. c. 6. §. 15. dicens: *Propter Scriptorum consensum, non pugno quin Romæ* (Petrus) *mortuus fuerit.*

XII. Docet Calvinus *l.* 2. *Inst. c.* 2. §. 11. 12. Non posse hominem peccare post baptismum susceptum: Tamen dicit omnia opera bona esse peccata mortalia; non sibi contradicit?



III. Con-

I.

D*Icunt* se non posse præcepta Dei servare: Tamen negant se fures, adulteros, homicidas, idololatras aut osores Dei; idque si illis quis objiciat indignantur. Quomodo hæc cohærent?

II. *Dicunt* nihil esse credendum nisi quod in Scriptura: Tamen credunt aliquas Traditiones, quæ non sunt in Scriptura, ut supra dictum. Item concedunt veram fuisse fidem tempore Apostolorum, quo tamen nondum erat Scriptura Novi Testamenti; & ante Moysen ac Prophetas, quando nondum fuit Vetus Testamentum: Hæc an cohærent?

III. *Dicunt* Opera bona esse peccata mortalia. At sic bona opera erunt bona & non bona, digna præmio & non digna: digna pœnâ & non digna; Constituent nos Filios Dei

Dei (quod quibusdam virtutib. Christus pollicetur: Ut *Beati pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur: Diligite inimicos, ut sitis Filii Patris, &c.*) & Filios Diaboli. Juxta illud: *Vos ex Patre Diabolo estis, quia opera, &c.* Quæ omnia quommodò consentiunt?

IV. *Credere* se profitentur, quæ in Scriptura; & tamen negant plurima, quæ in Scriptura, ut ostensum supra. Et addo. Nam Calvinus negat esse ullum infernum damnatorum, sive hominum, sive Angelorum. l. 2. Inst. c. 16. §. 9. ubi ait: *Concludere in carcere mortuorum animas, puerile est.* Ubi non loquitur de Purgatorio, quem alibi negavit. Et in Epist. Judæ ait: *Non est fingendus locus, quo inclusi sint Diaboli.* Cùm tamē *Luc.* 16. dicatur quòd Epulo sepultus in inferno; dicat se cruciari in hac flamma. Et Matth. 25. *Dîscidite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, &c*. Item negat futuram

ram corporum resurrectionem, ut constat ex Guilelmi Farelli ad eum Epistola. Ut habet Gaulterius. *pag* 784. At id contra manifestam Scripturam uti & Symbolum Apostolorum. *Credo resurrectionem, &c.*

V. Et illud quomodo cohæret cum altero? Docent Romanum Pontificem Successorem Petri cui dictum: *Pasce oves meas*, agnoscere pro Capite Ecclesiæ, absurdum esse: Non item absurdum reputarunt, pro Capite Ecclesiæ recipere Elizabetham Reginam Angliæ?

VI. Et illud quomodo conciliabunt? Docent posse invocare Viventes ut orent pro nobis, idquè illos facere posse citra injuriam Mediatoris Christi, parendo illi monito Jacob. 5. 16. *Orate pro invicem ut salvemini*: Et tamen iidem docent, non posse invocari Sanctos ut pro nobis orent, citra injuriam Christi mediatoris.

toris. Quomodo injuria Christo infertur, si Sancti pro nobis orent in cœlo; non infertur, si miseri mortales hic adhuc viventes pro iisdem orent?

VII. *Dicunt* opera bona omnia esse peccata mortalia; & tamen actum fidei juxta illorum sententiam eos justificantem, quo credunt sibi remissa peccata vel se salvandos, negant esse peccatum mortale; nam si affirmant, quomodo per peccatum mortale justificabuntur? Item negat orationem illam quâ dicunt, *Dimitte nobis debita* seu peccata *nostra* esse peccatum mortale; (Si enim affirment, rursum dicere debebunt, sibi peccata dimitti per peccatum mortale) quomodo ergo id cohæret cum doctrina omnia bona opera esse mortale peccatum?



§. III.

§. III.

I. *Abſurdisſima docent inprimis Calviniſtæ cum ſuo parente Calvino:*

Omitto illa verè abſurda & blaſphema, quæ ſub Decept. prima & ſecunda poſui, de Deo & Chriſto à Calvino dicta. Hîc alia pono:

Primo. Quàm illud abſurdum, quod Calvinus *lib.* 3. *Inſt.* *c.* 19. §. 2. ait: Primam Chriſtianæ libertatis partem eſſe, ſe ſupra Regem erigere. totamqué legis juſtitiam oblivíſci? Quis id vel Paganus docuit? quis locus Scripturæ ab hoc ſubjectionis debito Chriſtianos exemit?

Secundò. Quàm & illud æquè abſurdum, quod idem docet *l.* 4. *Inſt.* *c.* 20. §. 1. dicens: Nullibi hominum dominationem etiam temporalem, nullum Regem & Magiſtratum à fidelibus eſſe agnoſcendum; nec leges humanas etſi juſtas & probas ſeu

ab

ab Ecclesia seu à Magistratu ferantur, ligare posse in conscientia. *Quis* Princeps terrenus vel hinc Calvinismum patiatur (imò & Lutheranismum, nam idem docuit Lutherus teste Prateolo) qui ipsum omni auctoritate exuit? At ubi illud Rom. 13. 1. 2. *Omnis potestas à Deo est: & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.*

Tertiò. An illud non absurdum quod docuit Calvinus teste Theodoro Bezâ in *Epist.* 25. ubi nullus est Vini usus, licere pro vino uti in Cœna Domini vel aqua simplici, vel al[illegible]illic usitato potionis genere; aitq[illegible] hanc Christi mentem fuisse. It[illegible]m *Epistolâ Theologicâ* 2. ait Beza ritè celebrari posse, si, quod panis aut vini vicem ex usu communi vel pro temporis ratione supplet, Panis aut Vini loco adhibeatur. Quis unquam id præter hos docuit? Quis illis potestatem mutandi materiam Sacramen-

menti à Chriſto adhibitam & inſtitutam conceſſit?

Quartò. An & illud non abſurdè Calvinus blaterat *lib.* 3. *c.* 2. §. 4. *&* *alibi*, fideles æque eſſe ſecuros de ſua ſalute, ac ipſum Chriſtum; imò Chriſto ipſo mortali certiores ac ſecuriores eſſe? En novum Divini eloquii perverſorem, quod Eccle. 1. 9. dicit: *Neſcit homo utrum amore an odio dignus ſit.* Et 1. Cor. 10. 12. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Et Philip. 2. 12. *Cum metu & tremore ſalutem veſtram operamini.* En item novum Theologaſtrum, qui videtur neſciiſſe vel non credidiſſe, Chriſtum adhuc in terris mortâlem jam tum fuiſſe beatum ſecundùm Animam: quo quis certior ac ſecurior de ſalute? Certè Chriſtus de ſeipſo adhuc ante Paſſionem dixit Joan. 3. 13. *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, Filius hominis qui eſt in cælo.* Et Joan.

Joan. 14. 3. Et *ubi ego ſum, ibi & vos eritis.*

Quintò. Abſurdisſimus & ibi, imò blaſphemus à quo negetur Calvinus, ubi Sanctos cum Chriſto regnantes vocat *larvas, colluviem, carnifices, beſtias, monſtra.* Ita dicit *lib.* 3. *Inſt. c.* 20. §. 27. Et *lib. de ratione reformandæ* Eccleſiæ. Cui nunc tantùm illud oppono ex Auguſtino Serm. 26. de Sanctis ſic dicente (alii idē tribuunt Ambroſio.) *Qui honorat Martyres, & Chriſtum: & qui ſpernit Sanctos, ſpernit & Chriſtum.*

Sextò. Quàm verò abſurdè, penè Judaizans Calvinus lib. 2. Inſt. c. 10. §. 3. ait: *Nihil antecellit baptiſmus noſter baptiſmo Judæorum quo baptizati ſunt in nube & mari: nec Euchariſtia plùs quàm manna Judæorum.* At ô cæce doctor, ubi illud Joan. 6. 59. *Non ſicut manducaverunt Patres veſtri manna, & mortui ſunt: Qui manducat hunc panem, vivet in æternum!* Ubi illud Pauli, qui

Sacra-

Sacramenta Veteris Testamenti vocat *infirma & egena Elementa*? Gal.4.9.

Septimò. Quid cum idem *l*. 3. *Inst*. c.21. §. 2. 5. inquit, homines à Deo in æternam mortem prædestinari citra eorum meritum, quia sic illi placuit? Qualem impingit Deo ceu tyrannidem contra illud Ezech. 33. 11. *Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à via sua & vivat*. Et illud Tertull. lib. de Resurr. carnis: *Deus de suo optimus, de nostro justus*. Et Osee 13. 9. *Perditio tua ex te, &c.*

Octavò. At verò Constitutiones Genevenses Calvinistarum quàm absurdæ? Permittunt hæ divortium multiplex, & alterum virum ducere ob absentiam annuam Viri & adulterium, aliasqué causas. Ita habetur *pag*. 31. 32.

Nonò. Absurdissimum, execrandum, & quod horrent aures, est illud Theodori Bezæ Calvinistæ impudens

&

& blasphemum dictum in Colloquio Mompelgartensi: *Fateor* (inquit) *me ex animo Crucifixi imaginem detestari.* Quid aliud dæmon dicit, aut diceret?

Decimò. Quod si absurdum est aliquid addere ad credenda, secundùm dissidentes, præter illa, quæ in Scriptura & Symbolo Apostolorum; Omninò hîc absurdi, sibiq; sunt contrarii, dum addunt novum hunc fidei articulum: *Credo Papam esse Antichristum*, ita ut Ponellus Calvinista dicere audeat in Præfat. libri de Antichristo: *Deum Sanctè testor, me tam certò scire, Pontificem Romanum esse Antichristum, quàm Deum esse in cælo, esse Creatorem visibilium & invisibilium, & Jesum Christum esse verùm Messiam. Ubi Symbolum Apostolorum id vel Scriptura tradit?* Hoc est augere credenda.

11. Ab-

II. Absurdissima docet Lutherus cum suis.

Mitto dicta contra Deum & Christum, quæ posita sub primis duab. Decept. *Hic addo.*

Primò. Quàm absurdum est Lutheri dogma, ubi docet, Polygamiam esse licitam? Docet id *in Proposit. de bigamia Episcop.* Et *in Genes.* 16. Anni 1525. Hinc dicit, â Paulo non prohiberi Episcopis ducere plures uxores simul, nisi fortè apud Gentiles ob scandalum.

Secundò. Non minus absurdum & Calvino simile, quòd doceat licere divortium, ac dissolvere Vinculum Matrimonii inter Maritum pauperem & uxorem divitem, cùm ab amicis & propinquis impeditur. Docet id *lib. de Causis Matrimonialib. to.* 5. *edit. Anni* 1530. *fol.* 123.

Tertiò. Illud verò nunquid non absurdum, dum etsi fluctuabundus

ali-

aliquantulum, dicit posse fratrem uxorem ducere suam sororem paternam vel maternam. *lib de Caus. Matrim. edit. An.* 1530

Quartò. Nec illud non absurdum, quòd idem dicat licere conjugem conjugi permutare, cùm alter ab altero ad furtum aliudvè peccatum impellitur. Docet id *lib.* 1. *in* 1. Cor. 7. *edit. Anni* 1523. Quod totum est contra indissolubilitatem matrimonii fundatam in Matth. 19. 6. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Et alibi.

Quintò. Quàm absurdus idem ac impudens Lutherus Tum in Epithal. dicens: *Mulieres non nisi ad matrimonium* (non ergo ad cœlum & Dei cultum) *creatas esse; idemq́ est,* inquit, *consultare, sitné ducenda uxor, & sitné comedendum & bibendum*: Tum Serm: de Matrim. pag. 123. dicens: *Si nolit Domina, veniat ancilla: in locum Vasthi, Esther surroga.* Item cùm in c. 24. Genes. 5.

nes. 5. ait ita orandum esse: *Domine Deus da uxorem & panem quotidianum.*

Sextò. Par illud absurdum, cùm idem in Exegesi capitis septimi primæ ad Corinth. ait: *Ubi unus castus est, ibi plus quàm centies mille conjugatorum esse debent.*] Prô! quàm impurus hic Lutheranorum Apostolus, imò.

– – *Epicuri de grege porcus.*

At (teste Paulo 1. Thessal. 4. 7.) *Non vocavit nos Deus immunditiam, &c.*

Septimò. Quis illud Lutheri dictum

– – *naso non suspendat adunco,*

Ceu arroganter insolens & absurdum, cùm ait *lib. contra Regem Angliæ*; Reges, Principes, Pontifices non esse dignos, qui solvant corrigiam calceamentorum Lutheri, quod de solo Christo dixit Joannes. Sed certè non sunt digni, quia Lutherus hoc indignissimus, merum Orci orbisque propudium.

Octavò. An & illud non absurdè

ac insolenter oggannit Lutherus *lib.* de abrogand. Miss. p.3. *Non est*, inquit, *major cura Deo de Sancto Domini Sepulchro, quàm de bobus.* At quomodo dicitur Isa. 11. 10. *Et erit sepulchrum ejus gloriosum.* Nunquid in eo glorificando præ bobus, non major eluxit Dei providentia & cura?

Nonò. Quàm absurdè & contra omnem antiquitatem Lutherus censet (*teste castr. V. Mulier, & Prateolo*) fœminas posse ad Sacerdotium promoveri? Imò omnes Christianos viros & fœminas esse Sacerdotes.

Decimò. Quàm idem absurdus, cùm ait animas in Purgatorio detentas posse adhuc mereri aut demereri, nec esse de sua salute securas: Item easdem assiduè peccare, quamdiu quietem quærunt, & pœnas horrent, quoniam, inquit, quærunt quæ sua sunt contra Dei voluntatem ita docet teste *Castr. V. Purgatorium h.* 23.

Deci-

Undecimò. Quàm illud absurdè & falsò dictum ab eodem (*apud Castr. V. Evangelium h. 2.* Nullum esse in Novo Testamento præceptum, sed exhortationes duntaxat & observationes. At ubi illud Joan. 13. 34. *Mandatum novum do vobis ut diligatis.* Et Joan. 15. 11. *Hoc est Præceptum meum, ut diligatis, &c.* Item Matth. 5. 21. 22. *Audistis quia dictum est antiquis, Non occides: Ego autem dico vobis, qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis, &c.*

Duodecimò. Absurdissimè & blasphemè illud Carolstadius apud Lutherum to. 2. Vittemberg. fol. 4. *Si Crucifixi imaginem videris, exspue in faciem ejus:*

Absurdè & blasphemè Lutherus apud Gretserum l. 2. de Cruce c. 18. *Si miles essem, mihiq; in acie vel Sacerdos vel vexillum Cruce insignitũ vel ipsa etiam imago Crucifixi occurreret, non aliter*

me proriperem, quàm si ipse Cacodæmon me tædis ardentibus insequeretur.

Sed longum esset omnia Calvini, Lutheri, Zuinglii & aliorum dissidentium absurda percensère.

COROLLARIUM ad §. III.

Addendum Primò de Calvinistis, quòd tot absurdis dogmatibus insuper tot absurdissima facta addiderint. Testatur præter alios id *Ludovicus Richeomus in opere quod Idololatriam Hugonothicam appellavit* : Ubi eorum crudelitatem in Sanctorum etiam corpora exponit: Nam, præterquàm, quòd in Delphinatu, Rupellæ alibiq; multos ob fidem Christianam ex altissimis rupibus turribusq; præcipitârint, in puteos contra omnẽ legem & misericordiam contruserint; Engolismæ corpora Sanctorum Eutropii & Benigni effossa, flammis concre-

cremârunt: Capite S. Eparchi tanquam globo missili, ad metas petulantissimè colluserunt: Alibi incredibili cum impietate plurimas contumelias intulerunt Sanctis, nempe capiti Sancti Mathiæ Apostoli, Barberiaci: Parti Cranii S. Joannis Baptistæ, in Oppido cui à Sanctis Angelis Nomen est: Portioni Sangvinis ejusdem Præcursoris, Vasati: Reliquiis S. Hilarii, Pictavis: Sancti Martini, Turone: Sancti Aniani, Aureliæ; Sancti Juliani, Cenomanis: Sancti Irenæi, Lugduni: Sancti Eutropii, Strausicæ, &c. Postremò ne quid crudelitati deesset, in sepulchra Regum & Principum immanissimè debacchati sunt. Quæ omnia fusè prosequitur prædictus Author *l. 2. Idololatriæ Hugonot. c. 26.* Refert Petrus Hansonius *in Admonitione ad Germanos contrr Calvinistas, novos Reformatores* Varadini in Hungaria Imaginem

 ginem

ginem crucifixi rotâ comminuisse ut latronibus brachia & crura impulsu rotæ confringuntur, adjunctis his blasphemiis; *Latro es non Deus, latronis tibi præmia ferenda.*

In Hollandia Gehasii statuam Crucifixi Christi infami patibulo suffixerunt. *Teste Jacobo Gretſ. l.2. de Cruce c. 18.*

Addendum Secundò. Quidnam Jacobus Arminius celebris doctrinæ Calvinianæ Professor *in Declaratione Sententiæ suæ ad Nobiles & Præpotentes DD. Ordines Hollandiæ* disertè scribat, cùm *Doctrinam Calvini de Prædestinatione* improbat 1. Quia nullam Evangelii partem in se comprehendit. 2. Quia in nullo antiquo Concilio seu generali seu particulari, nec ab ullis antiquis Patribus est approbata. 3. Quia nemo potest salvari, qui ex ejus tenore vitam suam instituit. 4. Quia inhibet studium bonorum ope-

operum. 5. Quia pugnat cum justitiâ & bonitate Dei; item, cum libertate honoris, cum natura & titulis vitæ æternæ & mortis æternæ, cum natura peccati & gratiæ. 6. Quia obest saluti hominum multimodis. Et alia multa addit. Quàm ergo incredibilia docuit & absurda hic Neoapostolus Calvinistarum, quando etiam ejus sequacibus tam incredibilia videntur & absurda, quæ docuit!

Viderint jam Sectarii, quosnam duces sui erroris elegerint, quàm absurdos illusores, quàm deceptores blasphemos!





DECEPTIO VI.

Acatholicorum ab eorum Hæresiarchis.

Adhuc ultrà quàm dici posſit, graviſſimè juxta ac perniciosiſſimè vobis ô Sectarii, illuſum eſt à religionis veſtræ auctoribus & principibus veſtri erroris ex eo:

Quia vobis omnia ſalutis æternæ conſequendæ media abſtulère, ne unico quidem relicto.

En quàm in miſerum omnino ſtatum animas veſtras compulêre, quò redegêre anguſtiarum primæ hæreſiarchæ, eorumq; ſequaces Miniſtelli!

Demonſtratur id Primò:

QUia primum medium ad ſalutem animæ aſſequendam omnino neceſſarium eſt fides vera juxta illud

illud Hebr. 11. 6. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Imò etiam secundùm vestros auctores, sola fides est medium unicè necessarium ad salutem. *Sed vestræ* religionis Parentes verâ vos fide spoliârunt, falsam imò nullam obtruserunt, ut fusè probatum est sub *Titulo Deceptio quarta.* Quis ergo neget, quòd vobis medium unicè necessarium salutis abstulerint; illud, inquàm, medium, de quo ipse Christus Marc. 16. 16. *Qui verò non crediderit, condemnabitur.*

Demonstratur idem Secundò:

QVia in Sacra Scriptura Tum benè operantibus vita æterna promittitur, malè operantibus damnatio Jo. 5. 29. *Et procedent, qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ; qui verò mala, in resurrectionem Judicii.* Et Rom. 2. 6. *Reddet unicuique secundum opera ejus.* Tum observatio manda-

torum velut medium ad salutem à Christo indicatur Matth. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et Joan. 15. 14. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis.* En ut opera bona & observatio legis Divinæ sunt medium odtinendæ vitæ æternæ!

At vestræ religionis authores hoc medium salutis vobis penitus abstulerunt: Tum quia (juxta jam insinuata alibi) bona opera vobis hoc ipso dissuaserunt, quòd illa potiùs damnatione æternâ censuerint digna quàm cœlesti præmio; imò opus bonum, esse peccatum: Tum quia Dei præcepta servatu impossibilia esse docuêre: Tum quia vobis iter ad omnem vitæ licentiam & flagitia quibus damnatio in Scriptura Tum 1. *Cor.* 6. 9. Tum alibi promittitur, aperiunt, dum ajunt per nulla peccata hominem damnationis reatum incurre-

currere, nisi per incredulitatem: Tum quia vobis rationem & fundamentum omnis meriti tollunt, dum negant hominis liberum arbitrium. Hinc quando Eccl. 31. 8. 10. dicitur: *Beatus, qui potuit transgredi, & non est transgressus; erit illi gloria æterna.* Sciant se ad hanc gloriam non pertinere Sectarii, quam scilicet non meruerint liberâ non transgesſione: Et dum benè operantibus salus æterna appromittitur; Se ad illam haud spectare intelligant, cum bona opera excluserint.

En secundum medium vitæ æternæ illis ablatum!

Demonstratur idem Tertiò.

QVia Christus dedit Ecclesiæ suæ ceu singulare medium ad Justificationem & gratiam Dei vel recuperandam vel augendam, septem Sacramenta, ut patet ex iis, quæ sin-

gulis Sacramentis appromiſit, quæ ſemper agnovit tenuitq; Eccleſia, ut declarabitur in fine Libelli.

Sed veſtri Hæreſiarchæ vos tam ſingulari medio ſpoliârunt; ut probo:

I. NAM QUOAD BAPTISMUM; *Lutherus* eo ipſo vos ſpoliat Baptiſmi gratiâ; quia aliam formam Baptismi docet lib. de Captivit. Babylon. ubi ſic ait: *Somnium eſt illa forma, Ego te baptizo in Nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti*; aitq; *ſufficere, baptizare in Nomine Domini.* Si Luthero hic creditis & juxta ejus doctrinam baptizamini, baptismi gratiam Nicodemo indicatam *Joann.* 3. 5. haud conſequimini cùm Chriſtus expreſſè Matth. 28. 19. dicat: *Baptizantes eos in Nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti.*

Calvinum etiam errâſſe hîc turpiter dixi, docentem, filios fidelium ſine bapti-

baptiſmo ſalvari poſſe contra illud à Chriſto univerſaliter dictum Joan. 3. 5. *Niſi quis renatus fuerit, &c.* Item docuit filiis infidelium baptiſmum non prodeſſe. Unde ſequitur parentes non debere eſſe ſolicitos de baptizandis infantibus: quam Calviniſticam crudelitatem in animas infantûm exaggerat Ludovicus Richeomus *in Idololat. Hugonotica.* Hanc Calvini doctrinam ſi ſequimini, medio ad ſalutem neceſſario excidiſtis, novi & pejores animarum infantilium Herodicidæ.

Huc ſpectant & Anabaptiſtæ, qui negant infantes eſſe baptizandos.

2. QUOAD CONFIRMATIONIS SACRAMENTUM; de hoc *Act.* 8. 14. 15. ubi baptizati, per manuum Apoſtolicarum impoſitionem accipiebant Spiritum Sanctum; cujus etiam Sacramenti meminit antiquisſimus Patrum Dionyſius Areopagi-

pagita *Cæl. Hierarch. part.* 2. Tertullian. *lib. de Resurrect.* Origenes *Homil.* 9. *in Levit.* Cyprianus *lib.* 1. *Epist. ult.* Augustinus *lib.* 2. *contra* Petilian. Ambrosius *l.* 3. *de Sacram. c.* 2.

Hujus Sacramenti gratiâ vos privârunt hæresiarchæ vestri, dum contra Scripturæ & Veterum Patrum consensum Confirmationis Sacramentum pernegârunt.

3. QVOAD SACRAMENTUM PÆNITENTIÆ non minùs vobis perniciosè illusum.

Nam Lutherus *lib. de Captiv. Babylon.* non agnoscit nisi unum Sacramentum Baptismi. Imò idem docet absolvere posse à peccatis puerum vel fœminam. *Art.* 13. Item docet, Contritionem aut pœnitentiam quæ initium sumit ab horrore inferni esse perniciosam, adeòq; esse peccatum teste *Castr. V. Contritio.* Contra loca Scripturæ terrentis peccatores & ad

pœni-

pœnitentiam urgentis pœnæ æternæ comminatione. Idem docet vim abſolutionis à ſola fide ſi credas tibi remiſſa eſſe peccata dependere, non à ſeria abſolutione Sacerdotis. Quæ omnia vim & gratiam vobis hujus Sacramenti auferunt.

Calvinus non agnoſcit hoc Sacramentum, niſi Baptiſmum, Cœnam & Ordinationem. *lib.* 4. *Inſt. c.* 19. §. 14. *& ſeqq.* Confesſionem vocat carnificinam conſcientiarum l. 3. l. 4. §. 17. & §. 2.

Item Zuinglius negat hoc Sacramentum, ſed tantum tria recipit Baptiſmum, Cœnam, Matrimonium. *lib. de vera & falſa religione.*

Ergo hi vobis Sacramentum tam neceſſarium ad remisſionem peccatorum conſequendam juxta promisſum Chriſti, *Joan.* 20. 22. auferunt.

Alii etſi agnoſcant Pœnitentiæ Sacramentum, tamen vos omni ejus

fru-

fructu despoliant, dum circa Materiam & formam vos fallunt, sine quibus tamen verum Sacramentum ejusq; fructus percipi nequit.

Circa Materiam: quia non requirunt Confessionem nisi in genere, neque dolore formatam (sed tantum sufficere ajunt resipiscentiam seu novam vitam, ut est apud *Gaulter. primo sæculo & decimo sexto.*) Cùm tamen & Paulus 2. *Corinth.* 7. 9. Gaudeat Corinthios esse contristatos *ad pænitentiam*; & ipsum pœnitentiæ nomen id exigat; & pœnitentes ad Deum converti jubentur in fletu & planctu *Joel.* 2. 12. At verò Confessio peccatorum in Particulari hoc ipso à Christo instituta agnoscitur, quòd Apostolis potestatem absolvendi conferens dixerit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: quorum retinueritis, retenta sunt.* At nisi dicantur peccata in particulari, quomodo scire Judex hic

hîc ſpiritualis poterit, quæ retinere debeat, à quibus abſolvere? Nec enim retinere aliqua poterit ſine juſta & rationabili cauſa, quæ hîc ſumenda eſt ex notitia peccatorum in particulari.

Circa formam Sacramenti Pœnitentiæ vos fallunt; quia ſenſum ejus eſſentialiter variant, adeoq; nolunt facere quod Chriſtus fieri juſſit & Eccleſia facit. Nam ajunt hunc abſolutionis eſſe ſenſum: *Annuntio tibi remitti peccata*; cùm tamen Chriſtus dederit poteſtatem remittendi peccata, non annuntiandi ab aliquo alio remiſſa eſſe.

Item cùm ait Lutherus (ut ſuprà) non obeſſe, etſi Sacerdos *joco non ſeriò abſolvat* (quod quis credat?) hoc ipſo vos in forma abſolutionis fallit.

Denique cùm veris careatis Sacerdotibus, etiam Sacramento Pœnitentiæ caretis, etſi illud conformiter

Evau-

Evangelio & Patrum doctrinæ reciperetis. Tantùm enim sacerdotibus, quales erant Apostoli, Christus dixit: *Quorum remiseritis peccata.* &c. sed de hoc mox.

4. QUOAD I. SACROSANCTUM EUCHARISTIÆ SACRAMENTUM, hîc pœnè totaliter decepti, & omni fructu tam suavis Sacramenti & alimoniæ ad vitam miserè orbati estis.

Nam Calvinus contra expressos Sacræ Scripturæ textus negat realem ibi præsentiam Corporis Christi & transsubstantiationem; adeoq; vobis panem tantum simplicem tribuit. Idem Lutherum vocat delirum & idololatram *Epist. 72. ad Bucerum*, eò quòd Eucharistiam appellaverit *Adorabile Sacramentum.* Insuper Béza postquam *Epist.* 25. docuisset posse ad Eucharistiam conficiendam in defectu vini adhiberi aquam aut aliud

potio-

potionis genus, addit hoc Domini Calvini responsum esse Christi consilio consentaneum & à Calvinistarum cœtu approbatum. Contra illud Christi instituentis Eucharistiam Matth. 26. 29. *Amodò non bibam de hoc gemine vitis.*

Privat ergo vos Calvinus fructu Eucharistiæ, quem Christus promisit usui veri sui Corporis seu sui ipsius Joan. 6. *Qui manducat me & ipse vivet propter me.* Et v. 55. *Qui manducat meam Carnem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.*

At Lutherus ejusqué sequaces Ministri multipliciter hîc vos deceperunt. Nam & veram transubstantiationem in Eucharistia. (Teste *Castr. V. Eucharistia h. 5. & Florimund. l. 2. de Origine hæres. c. 10.*) Seu panis & vini conversionem in corpus & sangvinem Christi negant, sed eundem panem & vinum post consecratio-

tio-

tionem ibidem manere, quod est contra consensum veterum Patrum Ecclesiæ totius, ut in fine libri patebit; *Et* verum Christi corpus negant ibi esse secundùm existentiam permanentem sed tantum secundùm usum, id est, tunc cùm manducatur & bibitur (ut testatur *Castr. V. Euchar. h.* 12.) contra Christi pronunciatum, qui dum porrigeret Apostolis Eucharistiam, & nondum ab illis manducaretur sed dum eam juberentur manducare, dixit ibi esse suum Corpus Matth. 26, 26. *Accipite & comedite, hoc est Corpus meum.* Et (teste Prateolo) docent ante Eucharistiæ usum non prærequiri Confessionem ullamve Pœnitentiam de peccatis commissis contra Paulum 1. *Cor.* 11.28. Quo manifestè vos privant fructu hujus Sacramenti, qui non tribuitur nisi dignè manducantibus, ut ex eodem Pauli textu patet. Quomodo autem

tem dignè percipiat qui peccatis plenus, à quibus nec absolutus, nec per pœnitentiam emundatus?

Sacramentarii dum contraria antiquitùs & semper in Ecclesia receptæ fidei de Eucharistia docent contrarium, vos perimunt.

5. Universaliter autem loquendo omnes vestri Hæresiarchæ hoc ipso vos exspoliârunt tam salutari & ad vitam æternam conferente Sacramento; Quia vos spoliârunt veris Sacerdotibus, qui soli hoc Sacramentum conficere possunt, & quibus à Christo in Apostolorum persona dictum, *Hoc facite.* Sacerdotibus autem exuti estis, quia & Episcopis ritè ordinatis, qui soli Presbyteros ordinare possunt, ut colligitur ex Paulo 1. *ad Timoth.* 5. *Item ad Tit.* 1. quibus utpote Episcopis munus ordinandi commissum Apostolus exercere mandat constituendo Presbyteros per civita-

vitates. Et idem docet Augustinus *in Breviculo Collat* 3. *cap.* 5. Chrysostomus *in Epist. ad Timoth.* Hieronymus *ad Evagrium.*

6. QUOAD SACRAMENTUM ORDINIS penitùs nulli estis : totaliter vos illo vestri hæresiarchæ privârunt, quia, ut immediatè dixi, privârunt Episcopis, qui soli Sacramentum Ordinis conferre possunt ; decuitq; tam sacram potestatem conficiendi corpus Christi & absolvendi à peccatis non à profanis in alios personis derivari. Hinc neque veram Eucharistiam, nec veram remissionem peccatorum per illa verba promissam, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* habetis ; cùm utrumq; munus Christus demandaverit Apostolis ut novis Sacerdotibus, quibus destituti estis.

7. QUOAD EXTREMAM UNCTIONEM, hac ejusq; fru-

ctu

ctu vos vestri spoliârunt, fructu inquam exposito per Jacobum Apostolum c. 5.14. ubi ait: *Infirmatur quis? ungant eum oleo, & oratio fidei alleviabit infirmũ; & si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Eheu! miseri vos in illo agone sine tali præsidio ac medio consequendæ remissionis peccatorum. Et Calvinus quidem Commentar. in Jacob. 5. dicit de Extrema Unctione sic: *Fateor pro Sacramento usurpatam fuisse à Christi Discipulis.* Sed addit idem impostor spiritu vertiginis laborans: *Unctionis effectum ante annos* 1400. *Deus mundo abstulit.* At unde id illusor hic colligit? ex qua revelatione? quâ auctoritate? vel quis illum primò abrogavit Deo authore? Quis Scripturæ locus ad deserendam Apostolicam hanc doctrinam Calvinum compulit?

8. QUOAD MATRIMONIUM; nec istud inter Sacramenta vestri

ſtri Primores recenſent præter Zuinglium; contra illud Pauli ad Epheſ. 5. 32. *Sacramentum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto & Eccleſia, &c.*

En ut vos Sacramentis ad ſalutem noſtram à Deo ordinatis veſtri erroris authores per ſummum nefas privârunt!

Demonſtratur idem Quartò:

QUia etiam Sacrificium, ad quod (teſte Paulo *ad Hebr*. 5.) Offerendum pro peccatis omnis Pontifex inſtituitur, conducit ad remiſſionem peccatorum, & plurima à Deo impetranda. At Sacrificio vos veſtri Doctores privârunt, docentes, nullum in Nova Lege eſſe Sacrificium. Quæ tamen doctrina eſt contra Scripturæ loca ſub *Decept. quarta* allata, ut Hebr. 13. 10. *Habemus Altare.* Et illud Pſal. 109. 4. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech:* Ad quid autem altare & æternum id Sacerdotium niſi ad Sacrificium? Et

Da-

niel de ultimis mundi temporibus ac tempore Antichristi prædicens ait cap. 9. 11. 12. *Cessabit juge Sacrificium.* Ergo supponitur durâsse antè jugiter. Imò id etiam contra omnem antiquitatem, ut contra Augustinum in *Psal.* 83. *Conc.* 2. Contrâ Ambrosium *in c.* 11. *Lucæ.* Hieronymum *in l. ad Timoth.* Chrysostomum *Hom.* 24. *in* 1. *Corinth.* Cyrillum *Catech.* 5. Cyprianum *lib.*2. *Ep.*3. aliosqué antiquissimos Patres, quorum textus ultimo loco afferentur.

Undè non tantùm Infero, quod vos hæresiarchæ tam insigni medio & cultûs Divini & consequendæ remissionis peccatorum spoliârint; Sed insuper sic contra vos arguô hîc obiter:

Si vos vestri in errore Duces *Sacrificio* privârunt, &, ut antè ostendi, Sacerdotibus: Ergo vos privârunt & verâ Ecclesiâ. Nam teste Hieronymo lib. contra Luciferianum: *Ecclesia non est, quæ non habet Sacerdotes. Certè & inter ethnicos ut sine*

 cultu

cultu Deorum nulla, ita sine Sacerdotio nulla unquam secta fuit.

Demonstratur idem Quintò:

QUia sublatis jam tot ad Salutem mediis, insuper vos in ultimam planè desperationem ejusdem Salutis præcipitârunt, utpote toties æternæ damnationis reos vos constituendo, quoties vel peccatum aliquod committitis, vel aliquid boni operamini:

1. Cùm enim hi vestri Doctores omnia peccata dicant esse mortalia, quibus utiq; Scriptura minatur æternam damnationem, Tum 1. Cor. 6. 9. *Neq; fornicarii, neq; avari, &c. regnum Dei possidebunt*; Tum Apocal. 21. 27. *Nihil coinquinatum intrabit* in regnum cœlorum, &c. Cum inquam, omne peccatum doceant esse mortale; sequitur, quòd quoties peccatis (peccatis autem frequenter juxta Jacob.

3.2. *In multis offendimus omnes*) toties peccatis, mortaliter, consequenter rei exclusionis à regno cœlesti efficimini.

2. Præterea cùm secundum Lutherum (ut dixi non semel) in omni opere bono justus peccet, & juxta Calvinum bona opera sint inferno digna; iterum sequitur, quòd quoties boni aliquid agitis, toties æternæ damnationis reatum incurratis!

Miseri omninò, qui seu malè, seu benè operemini, semper infernum meremini. Id enim ex doctrina vestrorum Pseudoapostolorum clarè sequitur. Heu! qualis hic vestrarum conscientiarum intricatio! quàm pœnè impossibilis per vestros reddita vobis Salus! quàm media ad Salutem interclusa!

Demonstratur idem Sextò.

QUia Christus sua consilia sequentibus, clarissimè promisit mercedem vitæ æternæ, vel singula-

rem in cœlo gloriam, gratiasq; singulares. Sic voluntariam Paupertatem sectantibus, & sæculo ac terrenæ possessioni renuntiantibus pollicetur *Matth*. 19. 28. 29. *Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, sedebitis judicantes 12. tribus Israël; & omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut Patrem, aut Matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum; centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Item: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ possides, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo.* Matt. 19. 21.

De Virginibus item & castis dicitur Apoc. 14. 4. *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, Virgines enim sunt, & sequuntur Agnum quòcunq; ierit, &c.* Et Sap. 4. 1. *O quàm pulchra est casta generâtio cum claritate! immortalis enim est memoria ejus, quoniam apud Deum nota est, &c.* En quæ laudes & præmia eorum qui perfectionem & Chri-

Christi consilia sequuntur. Imò Proverb. 1. 25. Deus minatur: *Despexistis omne Consilium meum, ego quoq; in interitu vestro ridebo.*

At vestræ novitiæ fidei inventores docent despicere Consilia Christi, quæ vobis modis omnibus (ut supra notavi) dissuadent, & religiosum statum, in quo Paupertas voluntaria & castitas colitur, irrident, atque continentiam mordicus impugnant.

Videte ergo, quantum etiam hîc vos defraudent, & viam ad illa Christi promissa & insignem in cœlo gloriam consequendam impediant, efficiantq; ut cùm ob eorum doctrinam & consilium, despicitis Christi consilia, in vestro etiam interitu Christus sit risurus juxta dicta ex *Prov.* 1.

2. Adhæc Jejuniis quæ non promittit Deus? Testatur Scriptura,

quomodo Ninivitis, quomodo Achabo ob jejunium pepercerit: Testatur ut quoddam *genus dæmoniorum non ejicitur nisi per orationem & jejunium.* Matth. 17. 20. Et de jejunii usu in sua Ecclesia Christus prædixit Matth. 9. 15. *Venient dies cùm auferetur ab eis* (de discipulis dicebat) *Sponsus, tunc jejunabunt.*

At vobis jejunium tot cœlestium gratiarum obtinendarum medium dissuasit Lutherus ex toto, Calvinus ex parte, & stata jejunia in Ecclesia ab Apostolorum temporibus vel tollunt, vel contemnunt plerique. Planè *prodiît quasi ex adipe iniquitas eorum, transièrunt in affectum cordis,* ut illis insultat Scriptura Psal. 72. 7. Ego addiderim: *Transièrunt in affectum ventris.*

Demonstratur idem Septimò. Octavo. Nonò.

INprimis. Quia vestri hæresiarchæ sustulerunt vobis ingentem thesaurum Meritorum & satisfactionum Christi ac Sanctorum, qui per Indulgentias applicari in Ecclesia solet; quarum potestatem in Ecclesia esse in fine libelli ostendam auctoritate Patrum; & colligi potest ex illo Christi ad Petrum Matth. 16. 19. *Tibi dabo claves regni cælorum, quidquid solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Sicut enim cum aliis Apostolis Petrus accepit potestatem à peccatis & reatu pœnæ æternæ absolvendi per illa verba Joan. 20. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: Ita per hæc verba apud Matthæum universaliùs quoad potestatem, specialiùs quoad Petrum prolata, aliquid insuper speciale accepit in ordine ad cœlum aperiendum &

ſolvendum ; nempe poteſtatem auferendi etiam ea, quæ aditum ad cœlum retardant, ut eſt reatus pœnæ temporalis, quam etiam pro peccatis alioquin quoad culpæ & pœnæ æternæ reatum dimiſſis inſligi à Deo patet tum in Davide, qui adulterium ſibi à Deo Nathanis teſtimonio remiſſum, filii nati morte luit 2. *Reg.* 12. 14. Tum ex *Numer.* 29. 30. 14. Ubi Iſraelitis murmurantibus datâ ob Moyſis deprecationem veniâ, tamen Deus dicit ; *Non intrabitis terram promiſſam ; veſtra cadavera jacebunt in ſolitudine:* Tum alibi. Sed cùm veſtri Doctores Indulgentias abjiciant nec agnoſcant ; vos inſigni medio & viâ ad cœlum (niſi vobis hanc incredulitate malisq; operibus &c. inſuper præcluderetis) faciliori deturbârunt.

Præterea vobis tot alia bona ademêre, quæ in vos redundarent ex Com-

Communione fidelium toto orbe diffusorum juxta illud Psal. 118. *Particeps ego sum omnium timentium te* Domine. Id quod etiam in Symbolo Apostolorum profitemur dicendo: *Credo Communionem Sanctorum.* Nam quomodo hæc participatio & communio fieri possit, ubi non est unio ac unitas fidei ab Apostolis hucusque deductæ, ut ultimo loco ostendam?

Deniq; spoliârunt vos speciali Patrocinio cœlitum, potissimum Dei Paræ, cujus cultum & invocationem vobis dissuasêre. Exaudiretur utique (ut ait *Bernardus*) & illa Mater pro sua reverentia à Filio suam etiam Matrem honorante, si pro vobis se invocantibus illa supplicaret. Certò si Deus dicit; *Propter David Servum meum, & Israël electum meum* (Is. 37. 53 & 45. 4.) Se salvaturum civitatem; quid non præstaret ob benedictam inter mulieres Matrem? vel

ob Joannem, quo major non surrexit?

Expendite jam, quot mediis ad Salutem obtinendam hi errorum satores vos exspoliârint! quàm in misero statu collocârint, omnibus pœnè destitutos! Sanè deceptio hæc non ferenda.



DE-

DECEPTIO VII.

Acatholicorum ab eorum hæresiarchis.

Quot jam eorum deteximus imposturas? Sed nondum statim finis Gravissimam hîc recenseo, &omnium aliarum ferè originem, quâ vos illaqueârunt vestri Duces.

Quòd vobis imposuerint, suis argumentis falsis, fallacibus, nullis, & ad speciem tantùm subinde apparentibus fidem suam persuadendo, Catholicam improbando:

Non referam hîc, quàm mrnifestè & adæquatè solvanrur diluanturq; eorum argumenta à Theologis Catholicis in particularibus Materiis; id enim longum esset repetere, nec mihi propositum, qui universaliùs hîc illos impugno. Hinc universaliter assertum contra illos proximum sic ostendo:

Argu-

Argumenta, quibus hæresiarchæ sua dogmata probant, nostra improbant, sumunt vel ex Scriptura, vel Conciliis, vel Patribus, vel ratione.

Sed hæc argumenta prout ex prædictis locis desumunt, nulla sunt, fallacia, falsa, apparentia.

Ergo argumenta quibus suæ fidei dogmata probant, nostræ improbant, sunt nulla, fallacia, falsa, apparentia.

Major est indubitata. Unde enim alias?

Minorem latiùs demonstro.

§. I.

Argumenta hæreticorum pro sua fide ex Scripturis desumpta nulla sunt, fallacia, &c.

Primò.

QUia fusè ostensum per Inductionem *Deceptione Quartâ*, quòd Sacra Scriptura in omnibus eorum propriæ fidei adversetur. Quomodo ergo illi patrocinari possit? quomodo sibi contradicat?

Dicent Saltem ſe luculenter probare ex Scriptura, dogma ſuum de Communione ſub utraque ſpecie ex Joan. 6. 54. *Niſi manducaveritis Carnem Filii Hominis, & biberitis ejus Sangvinem, non habebitis vitam in vobis.* Et ex Matth. 26. 27. *Bibite ex hoc omnes.*

Reſpondeo non probare. Nam quod ad primum textum ex Joanne attinet; ibi Chriſtus non meminit utriusq; ſpeciei Panis & Vini, ſed tantùm meminit Corporis & Sangvinis, quod utrumq; æquè continetur ſub una ſpecie, ac ſub utraque vel alterutra. Certè hîc tantùm præcipit manducationem ſui ipſius, ideòq; addit: v. 58. *Et qui manducat me, vivet propter me:* Manducare autem Chriſtum eſt ſumere Corpus & Sangvinem illius, quod fit etiam ſub una ſpecie; unde additur: v. 59. *Qui manducat hunc Panem, vivet in æternum.* Hoc ipſo enim innuitur, manducando hunc Panem ſeu

ſeu ſub ſola etiam ſpecie panis ſumi Chriſtum, ſiquidem quæ ſumptioni Chriſti vita promittitur (*Qui manducat me, vivet, &c.*) etiam ſumptioni ſub ſola etiam ſpecie panis eadem vita æterna promittitur, *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*: Proinde ſatis innuitur fieri ſatis præcepto illi, *Niſi manducaveritis, &c.* per ſumptionem etiam unius ſpeciei; cum illi totus effectus tribuatur annexus illi præcepto, nempe vita æterna.

Præcipitur ergo à Chriſto ſubſtantia ſumptionis, nempe ſumere corpus & ſangvinem, non verò modus ſumptionis ſub utraq; ſpecie. Sæpe autem manducatio & bibitio pro eodem in Scriptura ſumitur. Ut 1. Cor. 3. 2. *Lac vobis potum dedi.* Et Cap. 9. 7. *Quis de lacte gregis non manducat?* En lac bibitur & manducatur. Item Pſal. 68.22. dicitur: *Dederunt in eſcam meam fel.* At Matth. 27. 34. *Dederunt ei vinum*

bibere

bibere cum felle mixtum. En fel manducatur & bibitur?

Quod ad Secundum textum ex Matth. pertinet, *Bibite ex eo omnes.* Ibi tantùm Christus voluit, ut novi illi Sacerdotes Apostoli ex illo calice omnes biberent, ideòq; Marcus explicat, quos Omnes Christus intellexerit, dum ait Marc. 14. 23. *Et biberunt ex eo omnes.* Cùm enim Panem Eucharisticum divisisset in partes, & singulas Apostolis porrexisset; calix autem eodem modo dividi non posset; uni Apostolo totum calicem porrexit cum ea cautione, ut relinqueret aliis aliquantum, non totum solus biberet. Negatur ergo ex hoc loco præceptum de Communione, sub utraq; specie quoad omnes fideles hinc probari.



Secun-

Secundò.

Argumenta hæreticorum ex Scripturis desumpta sunt nulla:

QUia unum textum Scripturæ obscuriorem & minùs idoneum pro seipsis afferunt, alios verò plures & clariores ejusdem Scripturæ textus suæ fidei in illa materia contrarios subticent & non curant. Quod signum est perversi eorum animi & doctrinæ. Exemplis id declaro:

Sic Primò. Calvinistæ probant, vitam æternam nobis dari sine nostris meritis ut hæreditatem tantùm, non ut mercedem ex illo Isa. 55. 1. *Venite, emite absque argento: & absque ulla commutatione vinum & lac.* Qui locus non ita clarus est: Quia hîc per vinum & lac intelligunt aliqui *cum S. Hieronymo* gratiam vitæ præsentis, nempe primam gratiam, quæ non cadit sub meritum, adeoq; datur gratis & sine nostro merito.

Alii

Alii eundem locum exponunt *cum Divo Cypriano ad Cæcilium c. 2. & Epist.* 3. De Sacramento Altaris & Dominico Sacrificio. Deinde cùm ibidem dicatur, *Venite*; *Emite*; indicatur requiri noſtrum laborem & emptionem, conſequenter aliquem titulum juſtitialem. *En* quàm locum obſcurum & diverſimodè explicatum afferunt ad ſuum errorem confirmandum Interea non curant & tacent plures alios Scripturæ locos ſuæ hæreſi adverſantes, ut illum Matth. 5. 12. *Merces veſtra copioſa eſt in cælis.* Et 1. Cor. 3. 8. *Unusquisque propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem.* Et ad Rom. 2. 6. *Deus reddet unicuique ſecundùm opera ſua, iis quidem, qui ſecundùm patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam.* Et 2. Cor. 4. 17. *Momentaneum & leve tribulationis noſtræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Et Rom. 8.

17. Si

17. *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur.* 2. Cor. 1. 7. Scientes quod ſicut *Socii Paſſionis eſtis*, ſic eritis & conſolationis. Et 2. Tim. 2. 5. *Nemo coronabitur, niſi qui legitimè certaverit.* Et Hebr. 11. 6. *Accedentem ad Deum oportet credere, quòd Remunerator ſit.* En quot & quàm clara teſtimonia Scripturæ non curant!

Sic Secundò in Euchariſtia tantùm eſſe Corpus Chriſti in ſigno ſeu ſignum Corporis, Probant ex 1. Cor. 10. 3. ubi dicitur de Judæis: *Omnis eandem eſcam Spiritalem manducaverunt, & eundem potum Spiritalem biberunt:* id eſt, ut ipſi explicant: Eandem eſcam Spiritalem Judæi manducârunt, quam nos. Sed illi manducârunt Chriſti corpus in figura tantùm. Ergo & nos.

Ubi vides horum hominum cœcitatem, qui nec locum hunc intelligant! cùm Apoſtolus dicat, non eandem eſcam Judæos manducâſſe quam nos;

nos; Sed quòd omnes inter se eandem escam manducârint, id est, eandem unus Judæus, quam alii Judæi, ut ibidem per addita explicatur: *Patres nostri omnes sub nube fuerunt, omnes mare transiêrunt, omnes eandem escam Spiritalem manducârunt.*

En ut locum unum, nec qui ad rem faciat, afferunt ad suum errorem fulciendum? jam verò alia clarissima testimonia de veritate & reali præsentia Corporis Christi in SacroSancta Eucharistia negligunt quia suo errori opposita, quæ posui *Decept. quartâ*; ut illud Joan. 6. 52. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et Matth. 25. 26. Et 1. Cor. 11. 24. Item 1. Cor. 10. 16. *Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est? & calix, cui benedicimus, nonne communicatio Sangvinis Christi est? &c.* Quid verò hæc isti curant!

Tertiò. Similiter ad negandum homini

mini liberum arbitrium adducunt illud Isa. 41. 23. *Bene vel malè, si potestis facite.* Qui tamen locus hîc nihil convincit, cùm non de hominibus, sed de idolis gentium ibi loquatur Propheta. At clariora Scripturæ loca, hominis liberum arbitrium asserentia reticent negliguntq; , quæ posui *sub Decept. quartâ.*

Tertiò.

Argumentum hæreticorum ex Sacris Scripturis in speciem desumpta nulla esse nec eorum fidem proâare.

QUia vel ex suis Bibliis sua dogmata probant, vel ex nostris. Si ex propriis ; ostendi *supra Decept. tertia*, etiam ipsorum Dissidentium testimonio versionem Biblicam apud illos esse vitiosam, & pro libitu detruncatam vel auctam, prout eorum errori congruebat. Recole ibi dicta : Si ex nostris ; sic vel nihil pro se clarum afferunt, vel unum locum

cum pro se adducunt minùs idoneum ad rem probandam, alios plures sibi oppositos conticescunt, ut immediatè ostendi; & ostendo.

Quartò:

Quia ineptè suam fidem ac errores ex Scriptura probant hæretici.

SIc contra Traditiones afferunt illud Deuteron. 4. 2. *Non addetis ad verbum, quod loquor vobis, nec auferetis.* Ineptissimè id afferunt nec suo errori opportunè: Quia dum per hunc locum volunt oppugnare Catholicos, oppugnant Apostolos, oppugnant & Novum Testamentum & Prophetas aliosq; sacros libros post Moysis Pentateuchum conscriptos. Deinde non percipiunt, quid hîc Deus præcipiat. Alioquin & Christiani deberent perfectè ac integrè servare præcepta legis Mosaicæ ceremonialia & judicialia.

Similiter ad probandum quod so-

la

la fides justificet, afferunt illud Christi, qui cuidam deprecanti pro filia mortua resuscitanda, dixit Luc. 8. 50. *Crede tantùm, & salva erit.* Inepta probatio. Non enim, ut ex contextu patet, locus hic intelligitur de justificatione & remissione peccatorum nec hanc ille homo à Christo Filiæ suæ postulabat, sed intelligitur de Salute corporali & resuscitatione puellæ mortuæ, pro qua ibi supplicatum: nec ibi agitur de fide remittente peccata, sed de fide miraculorum. Non enim exigebat fidem Christus à puella quam resuscitare voluit, Sed à parente pro filia deprecante.

Similiter ad suum errorem confirmandum de Eucharistia contra veritatem corporis Christi citant illud Joan. 12. 26. *Ubi sum ego, illic & Minister meus erit.* Mox subsumunt: Sed Ministri Christi non sunt in Eucharistia. Ergo nec corpus Christi. Nugaci-

gaciter & ineptè arguunt. Sic enim etiam arguerent: *ubi ſum ego, illic & Miniſter meus erit.* Sed Miniſtri Chriſti non ſunt inter latrones Crucifixi, non ſunt ad dexteram Patris. Ergo nec Chriſtus. Si hæc inepta & hæretica argumentatio, & illa. Certè locus ille agit de gloria cœleſti ſeu de Viſione beatifica, in qua eſt ſeu quâ fruitur, & tunc etiam in terris fruebatur Chriſtus; quòd & Miniſtri ejus ſint eâdem fruituri. Sed quis eorum ineptias enumeret?

Quintò:

Argumenta Sectariorum è Sacris literis deprompta nulla ſunt, nec pro eorum fide:

Quia nihil poteſt afferri ex Scriptura pro fundamentis, in quibus Sectarii ſuas hæreſes fundant. Unde etiam manifeſtè convincuntur arbitrariæ, novitiæ & fictitiæ fidei. Fundamentis item corruentibus, ruat

ruat neceſſe eſt totum ædificium & ſuperſtructio. Hujus quinti argumenti veritatem ſic oſtendo:

Quia fundamenta, quibus disſidentium hæreſes innituntur, ſunt potisſimum hæc quatur:

Primum : Eccleſiam Catholicam defeciſſe, & conſequenter errare poſſe:

Secundum: Romanum Pontificem non eſſe Caput & Paſtorem Univerſalis Eccleſiæ ac Judicem controverſiarum fidei, cujus proinde non teneantur ſequi ſententiam, nec ei velut membra Capiti uniri.

Tertium: Nihil eſſe credendum, niſi quod eſt in Scriptura Sacra: vel ſi Scripturam non recipiant, nihil eſſe credendum, niſi quod dictat Spiritus privatus.

Quartum: Addi poteſt: Solam fidem ſufficere ad Salutem. His ferè fundamentis fides hæreticorum innititur, quibus alios errores facilè ſuperſtruunt.

Subsumo: Atqui nullum ex his 4. fundamentis potest ab illis probari ex sacra Scriptura. Ergo verum id, quod quintum argumentum adstruit.

Subsumptum seu Minorem quoad primum fundamentum constat facilè: Ubi enim vel unus apex in Scriptura de defectione totius Ecclesiæ, pro qua rogavit Christus ne deficeret Luc. 22. 31. vel quòd errare potuerit ac erraverit Ecclesia *columna veritatis*, & cui promissum à Christo, quòd cum ea esset permansurus Paraclitus Spiritus, veritatis in æternum qui eam doceret omnem veritatem, *Joan.* 14. Ubi quidquam de ejus invisibilitate conficta à Sectariis, vel quod reformanda fuerit per Lutherum, Calvinum, &c. Nullibi tale quid reperies. Quod si dato non concessò, horum aliquid reperires; quomodo in illa totalitate errantis Ecclesiæ ac deficientis à veritate, non etiam Luthe-

rana, Calviniana, & omnium hæreticorum Ecclesia includeretur ? Ubi illos Scriptura excipit ? En primum hæreseos fundamentum sine fundamento!

Quoad secundum fundamentum de Romano Pontifice quem negant Successorem Petri & Pastorem totius Ecclesiæ. Id ex qua scriptura colligunt? proferant. Imò contrarium ex Scriptura colligitur, Tum quando Christus Petro dicit: Luc. 22. 32. *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.* Ergo fides ejus non erat defectura in ejus Successoribus, qui ejus munus & Personam gesturi essent, Petrus enim hinc erat per mortem discessurus, nec perpetuò in terris victurus: Tum ad Eph. 5. quem locum attuli *Decept. quarta.* Ut hîc omittam auctoritatem antiquissimorum Patrum & Ecclesiæ Doctorum (quos ultimo loco afferam) qui hunc primatum & universale

ſale regimen totius Eccleſiæ in Romano Pontifice ſemper agnovêre; & non citò nimium, nempe poſt mille quingentos propè annos Lutherus & Calvinus cum ſui ſimilibus reclamavit.

Quoad tertium fundamentum de nulla re credenda, niſi quæ ſit in Sacra Scriptura, nullum eſt in Scriptura fundamentum: cùm & aliqua eos credere ſupra oſtenderim, quæ non ſunt in Scriptura (*Decept. quarta*) & inſuper.. Si quis textus Scripturæ pro hoc fundamento poſſet afferri, is impugnaret Apoſtolos & Evangeliſtas, qui poſteriùs aliqua ſcripſerunt & addiderunt cùm ante crediderint aliisq; credenda perſuaſerint eadem, quæ nondum ſcripto tradita fuerãt ab iisdem. Deniq; clariſſima eſt contra illos Scriptura Tum 2. *Theſſal.* 2. 15. Tum 2. Joan. v. 12. *Plura habens vobis ſcribere nolui per chartam &*

atramentum : Spero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui. Et 1. Cor. 11. 14. *Cætera cum venero, dispo-nam.* Ex quibus colligitur, non omnia credenda aut facienda scriptis commisisse Apostolos; quod subruit prædictum hæreseos fundamentum.

Quartum fundamentum etsi solicitè quæsierint Sectarii in Scriptura, tamen non reperêre, quòd sola fides justificet. Imò contrarium eorum Sententiæ ostendi ex Scripturis Sacris *Decept. quartâ*, ubi & aliis actibus tribuitur Justificatio, & fides sine operibus nil prodesse indicatur.

Infero ex dictis : Cùm ergo fundamenta suarum hæresum nequeant Sectarii probare ex sacris literis; omninò frustra ad Sacram Scripturam refugiunt, ut hinc argumenta suæ fidei seu errorib. probandis petant; adeoq; eorum argumenta è S. Scriptura desumpta, sunt nulla.

§. II. *Ac-*

§. II.

Argumenta Sectariorum ex Conciliis desumpta eorum fidei nullo modo patrocinantur.

Primò:

PRæterquàm quòd Concilia rejiciant (ut ostensum *Decept. quartâ.*) Id probatur: Quia Concilia semper ferè cogebantur contra hæreticos, non pro illis. Sic Nicœnum contra Arrium: Ephesinum contra Nestorium duas Personas Christo affingentem: Constantinopolitanum contra Macedonium Divinitatem Spiritûs Sancti impugnantem: Chalcedonense contra Eutychem unam in Christo Naturam asserentem: item Constantipolitanum & Romanum contra Monothelitas, &c. Tridentinum contra Lutherum, Calvinum, &c. Quomodo ergo suos errores probare possint ex Conciliis hæretici, quæ contra eos congregantur & desi-

definiunt? Maximè cùm moderni hæretici antiquas & in illis Conciliis pridem damnatas & sopitas hæreses resuscitent, nempe Lutherus & Calvinus hæresim Eunomianam, de sola fide, quòd hâc habitâ nulli homini peccata noceant: resuscitant & hæresim Manichæorum negantium homini liberum arbitrium: hæresim Joviniani, quod Virginitati præstet conjugium, ut etiam docuit Lutherus: hæresim Vigilantii de non venerandis Sanctorum reliquiis; & alias complures (ut sequenti *Decept.* innuam) pridem à Conciliis damnatas.

Secundò: Quia ad probanda sua dogmata sæpe citant non approbata Concilia, vel si approbata referunt, referunt non sincerè.

Ostendo Primum: Nam contra Imaginum cultum citant Concilium Constantinopolitanum cælebratum sub

ſub Conſtantino Copronymo, & aliud Conſtantipolitanum celebratum ſub Leone Iſaurico Iconomacho, quorum utrumq; cenſuit Imagines abolendas. Item citant Concilium Francfordienſe, in quo ajunt reprobatam Synodum ſeptimam, quæ cenſuit imagines retinendas.

Et tamen prima illa duo Concilia Conſtantinopolitana non fuerunt approbata, quia non adfuit illis Romanus Pontifex, nec per ſe, nec per ſuos Legatos; cùm tamen regula ſit Concilii Nicæni Primi, non licere Concilia Generalia celebrare ſine Sententia Romani Pontificis. Deinde quia nulli Patriarchæ conſenſerunt illis Conciliis, nec per ſe, nec per ſuos legatos: Et omnes, qui de his Conciliis ſcripſerunt, duo hæc non numerant inter Concilia, ſed ea reprehendunt, ut Zonaras, Nicephor. Cedren. Sigebertus, ſuntq; hæc Concilia

cilia damnata in Concilio Nicæno II. Et sanè mirum est, quòd Calvinus laudet hæc Concilia, cùm tamen hæc damnent eos, qui non colunt Sanctos, nec invocant B. Virginem; Item eos, qui non credunt, Deum redditurum pro meritis bonorum operum vitam æternam; quæ omnia Calvinum impetunt.

Concilium verò Francofordiense etiam fatentibus adversariis, reprobatum est ab Adriano Papa. Deinde idem Concilium non tollit imagines, sed permittit earum usum in templis.

Ostendo Secundum: Quia Sectarii aliqui ut probent Matrimonium Virginitati præcellere, adducunt Concilium Gangrense *Can.* 9. 10. ubi dicunt damnari eos, qui continentiam professi nuptias exsecrantur. Cùm tamen in illo Canone non præferatur Matrimonium Virginitati;

tati;

tati; ſed tantùm prohibeantur Virginitatem profeſſi, ne judicent eſſe execrabiles nuptias, nec eos irrideant vel contemnant, qui Virginitatem non profitentur. En illorum dolus in citando Concilio!

Tertiò: Quia ſi Conciliorum auctoritate ſuæ fidei dogmata roborant Sectarii & perſuadere conantur; hoc ipſo Catholicam magis roborant & confirmant; quia hæc in approbatis Conciliis clariſſimè relucet & comprobatur. Cùm autem Concilia non dicant idem & negent; ſi argumenta pro Catholica Fide ex illis deſumpta ſunt clara & evidentia, imò clariſſimè Catholicam fidem approbantia; ſequitur, quòd pro fide contrariæ, qualis eſt Sectariorum, hinc deducta, nulla erunt aut tantùm ad ſpeciem apparentia, in re illis oppoſita argumenta.

§. III.

Argumenta Sectariorum ex Sanctis Patribus desumpta eorum fidem non probant, adeoq; nulla sunt.

Primò.

QUia Patres in mysteriis fidei cum Catholicis omninò conveniunt, ut in fine libelli patebit. Quid ergo ex illis nisi vel malè intellectum vel corruptum trahi poterit in defensionem errorum Catholicæ fidei oppositorum? Nam quòd Sectarii proferunt ex aliquibus Patribus pro communione sub utraq; specie, in nullo Patrum ostendent, quòd talem Communionem illi senserint esse sub præcepto Divino quoad omnes fideles, nisi quòd aliquando dicant fuisse in usu hujusmodi Communionem, ut tempore Leonis Papæ, qui usum Calicis omnibus permisit vel etiam tunc præcepit tanquam signum distinctivum Catholicorum à Manichæis vinum

num bibere veluti fel esset draconum recusantibus.

Secundò. Quia Patres suam Sententiam in rebus adhuc controversis nec definitis ab Ecclesia Catholica eidem Ecclesiæ subjiciebant, ut patet ex Divo Hieronymo, qui ad Damasum Papam sic scribit: *Obsecro, ut mihi literis tuis sive tacendarum, sive dicendarum Hypostaseon detur auctoritas: non timebo tres hypostases dicere, si jubeatis.*

Idem patet ex Augustino qui lib. 1. contra Cresconium c. 23. ait: *Quisquis falli metuit obscuritate quæstionis, Ecclesiam de illa consulat.* Idem Augustinus libros contra Epistolas Pelagianorum dirigit ad Bonifacium I. Papam, examinandos & emendandos Apostolicæ Sedi committens.

Patet idem in Bernardo, qui ep. 174. ad Canonicos Lugdunenses sic scribit: *Quæ autem dixi, absque præjudi-*

cio sanè dicta sint saniùs sapientis ; Romanæ præsertim Ecclesiæ auctoritati atq; examini universa reservo , ipsius , si quid aliter sapio , paratus judicio emendare.

Ergo ex Patribus nil potest erui contra Romanam Catholicam fidem,cui se ita in omnibus submittũt, & cum illa sentiunt , non contra illam , ut Sectarii. Quod si aliquid scripserunt Patres illi contrarium ante definitionem Ecclesiæ quidnam sentiendum sit;cùm & tunc judicium proprium submiserint Ecclesiæ ut *columnæ veritatis* , hoc ipso jam nequeunt trahi in patrocinium hæretici erroris.

Tertiò. Quia Sectarii plerumq; locos obscuriores & detruncatos ex Patribus obtrudunt , ut incautos ignarosqué circumveniant. Imò falsò,ineptè illos citant , quod ex subjiciendis colligi potest,

3. Nam

1. Nam Magdeburgenses *Cent.* 5. *c.* 6. *col.* 999. citant Augustinum contra cultum SS. Reliquiarum sic: *Augustinus libro de Civit. Dei* 22. *cap.* 8. de reliquiis S. Stephani scribit, superstitiosum & magnum concursum multitudinis ad eas in Africam usque factum, dementatis populis quibusdam illusionibus, quæ pro miraculis creditæ sunt.

Hæc illi ex Augustino falsissimè citant. Nam toto illo capite Nomen superstitionis & illusionis non invenitur, sed pietatem omnia spirant erga reliquias beati Martyris.

2. Similiter contra Traditiones citant Hieronymum in c. 23. Matth. sic: *Quod de Scripturis auctoritatem non habet, eâdem facilitate contemnitur, quâ probatur.* Et hunc fallaciter citant. Nam ibi Hieronymus agens contra quendam, qui ex libro apocrypho volebat probare, Zacha-

riam

riam occiſum inter templum & altare fuiſſe Patrem Joannis Baptiſtæ, ait: *Hoc quia de Scripturis auctoritatem non habet, eâdem facilitate contemnitur, quâ probatur.*

Meritò autem illi Scripturam Hieronymus objecit, quia ipſemet Hieronymus ex Scriptura deducebat Zachariam fuiſſe illum, qui eſt à Joas Rege Judæ interfectus.

3. Similiter Ubiquiſtæ pro ſua Sententia citant Hieronymum *contra Vigilant.* Sic: Agnus Dei, id eſt, Chriſtus eſt ubique. *Sed apud* Hieronymum eſt. Sic: Si agnus eſt ubique, & Sancti ubique credendi ſunt eſſe. *Sed Sancti* non ſunt ubiq;. Ergo.

Sed quid mirum, ſi Patrum textus corrumpant, qui & Scripturam Sacram auſi, ut dictum, corrumpere?



§. IV. *Ar-*

§. IV.

Argumenta Sectariorum à ratione desumpta nulla sunt.

Primò :

QUia vel illorum rationes non fundantur in Scriptura & in allatis hîc per tres §. fundamentis, & sic fidem fundare non possunt Divinam; hæc enim non est humani intellectûs commentum, sed nititur auctoritate Dei revelantis nobis sufficienter proposita : Vel rationes illæ videntur fundari in dictis fundamentis; & sic aut juxta dicta superiorib. paragraphis, non sine fallacia textus Scripturæ, Conciliorum & Patrum afferunt, ut incautos decipiant : Aut arguunt à pari, cùm tamen hîc paritas non omninò currat. V. G. Dum Calvinistæ probant non esse Corpus Christi in Eucharistia sic: Hæ locutiones Scripturæ, *Petra erat Christus*, *Ego sum Vitis*, *Ecce Filius*

tuus

,

tuus, *Septem boves sunt septem anni*; sunt figuratæ locutiones. Ergo & hæ sunt figuratæ, *Hoc est Corpus meum*, *Hic est Sangvis meus*. Qui modus argumentandi si valeret, posset sic contra Calvinistas retorqueri: Hæ locutiones sunt propriæ non figuratæ. Judas est proditor, Petrus est Apostolus, Paulus est Doctor gentium, *Hic est Filius meus dilectus*, *Tu es Christus Filius Dei vivi*. Ergo & hæ sunt propriæ non figuratæ, *Hoc est Corpus meum*, *Hic est Sangvis meus*.

Secundò: Quia multa mysteria fidei excedunt rationem, ut est Mysterium Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ unde & Apostolus universaliter monet Fideles 2. Cor. 10. *In Captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*. Imo et si non excederent rationem, tamen in hac sola non debet fundari Fides

Divi-

Divina. Nam ut Gregorius Hom. 26. in Evangelia ait: *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Et *Fides est assensus ob auctoritatem dicentis non ob rationem propriam.*

Tertiò: Quia si rationibus solis hîc standum esset, cùm possint afferri in quavis fere materia rationes prô & contrà, nil posset in rebus fidei esse certum, nil determinatè verum definiri, quod utrumque est contra rationem fidei Divinæ, seu nixæ auctoritati Dei dicentis, cui nequit subesse falsum aut incertum, juxta illud Pauli 2. Timoth. 1. *Scio cui credidî, & certus sum.*

Denique firmiores rationes ac congruentias ad confirmanda fidei suæ mysteria Catholici proponunt; cur ergo ad has potiùs non attendatur? Maximè cum hæreticorum rationes vel soli lumini naturali innitantur, & sic

sic nihil contra assensum fidei Divinæ evincunt, quasi nihil præter naturalem rerum ordinem sit possibile Deo, nec credendum sit si reveletur ab eodem: Vel rationes eorundem aliquid contra lumen naturale inferunt, ut de libero arbitrio, de Deo ut Auctore peccati. At hoc ipso mysteria fidei suæ faciunt incredibilia, cùm tamen juxta Psalmistam 92. 5.: *Testimonia tua credibilia facta sint nimis.*

Infero ex hactenus dictis:

Cum hæresiarchæ fidem suam vobis talibus, id est, falsis, fallacibus, nullis persuaserint argumentis, ut ostendi; an non hæc gravis nec ferenda amplius impostura?



DE-



DECEPTIO VIII.

Acatholicorum ab eorum Hæresiarchis.

Nec illa mimina Hæresiarcharum fraus est, & quidam fascinus:

Quia vobis eam fidem persuasère, quæ in vestrum dedecus nec in exilem ignominiam redundat.

Fascinum & hic tollere curabo, dum hæc dedecora in vos à vestris ductoribus & fide dimanantia detegam. Horrete illa & erubescite, ac resipiscite.

I.

SUmmum fidei vestræ probrum ac dedecus est, quòd sequamini hæresiarchas ab ipso dæmone in sua ac vestra fide instructos, ut ex vestrorum testimonio luculenter ostendi sub *Decept. quarta* ab initio. Videte ibi dicta,

dicta, & rem fatebimini non sine rubore & pœnitentia. Quod eorũ cum dæmone commercium comprobatur ex eo, quod Maximilianus I. Anno Domini 1518 viderit supra humeros Lutheri Diabolum in urbe Augustana, ut sæpe testatus est Princeps Germanus qui tunc cum Imperatore fuit, ex cujus filio se id didicisse affirmat *Florimundus lib. 1. de Orig. hær. c. 5.*

II. Summum & illud fidei vestræ dehonestamentum, quòd sequimini hæresiarchas, qui contra conscientiam vobis hanc fidem persuasêre. Nam Lutherus teste *Sleidano lib. 3.* hortatus est Scripto Vittembergenses (qui Lutherum secuti, primi omnium Missas abrogârunt) ut in eo incepto etiam contra conscientiam (ò vocem vestri Doctoris impiam!) persisterent, sicut & se in quibusdam fecisse ait. Idipsum de Calvino aliisq; pate-

patebit ex dicendis *Decept. nonâ.*

III. Non poſtremum & illud dedecus veſtræ fidei ac veſtrûm omnium; Quia ſecuti eſtis apoſtatas à fide & religione, eosqué impuriſſimos & in carnis licentiam etiam contra Votum Deo factum effuſos.

1. Nam Lutherus Deo toties voverat non in uno Clauſtro Religioſorum Caſtitatem, ſed ejuratâ ſemel fide, nec Deo fidem ſervavit quam promiſerat, contractis inceſtis & Sacrilegis nuptiis cum Catharina Bora ſeu Boræa Moniali. Eheu, qualis Parentis filia eſt fides veſtra! quàm hominem frontis perfrictæ & profligati pudoris ſequimi! ei adhæretis fidemq; habetis, qui fidem toties Deo datam impudenter ac pervicaciter violârit?

2. Similis à fide apoſtata fuit Joannes Calvinus antea Canonicus Noviodunenſis teſte *Genebrardo*; qui

con-

contra ſacros Canones Idelettam Buræam loco Parochiæ Pontis Epiſcopi aſſumpſit teſte Beza in vita Calvini.

3. Zuinglius antè Canonicus Conſtantienſis, pòſt Carolſtadii diſcipulus, pridem damnatam Berengarii ſententiam eſt amplexus, eamqué defendere aggreſſus Anno Domini 1525. Qui novit, quis fuerit Carolſtadius, & qui ejus exitus, ut mòx agnoſcet ex dicendis; is colliget, quo doctore ad hanc turpem apoſtaſiam continuandam profecerit Zuinglius, dignus tali Magiſtro diſcipulus.

4. Andr. Carolſtadius ex Archidiacono Vittembergenſi & Sacerdote Catholico concubinarius Sacrilegus, utpote qui primus è Clero Germaniæ Matrimonio Sacrilego fuerit infamis, teſte *Prateolo*, *Gaulterio*.

5. Oecolampadius S. Brigittæ quondam Monachus pari infamiâ, qui

qui primò Lutheranus, mox Antilutheranus & Sacramentarius, spiritu vertiginis in varias abreptus sectas, teste *Castr. Prateol.*

Beza Prioratum suum Longimæensem vendidit, ut Candidam suam commodiùs Genevam apostata deduceret teste *Prateol. Gaulterio*, illud etiam elogium apud *Tilmannum Heshusium* consecutus, ut Epicureus & blasphemus scurra vocaretur. En quales vestri Doctores!

IV. Et illud dedecus vestrum est, quòd publicè infames hæresiarchas sequimini. Mitto, quòd teste Cochlæo in actis Lutheri, ferunt Lutherum ex dæmone incubo natum; certè idem Lutherus à Carolo V. publicè proscriptus est, & Anno Domini 1520. in Germania libri ejusdem ex mandato Imperatoris combusti sunt, cùm anteà Anno Domini 1518. hæreticus publicè proclamatus esset, teste *Genebrardo.* At

At Calvinus (teste Vestphalo in apologia) è cujusdam sacrificuli matre concubina natus, è fori rabula repente Theologus, Regis Galliæ jussu ad mortem damnatus, regii magistratûs manus subdolè effugit. *Genebrard.*

Zuinglius item apud hæreticos ipsos infamis & odio semper habitus, à suis tandem Helvetis in acie trucidatus, Catholicis canonibus exustus est, teste Lindano.

V. Summum vestræ fidei opprobrium est; quòd sequamini hæresiarchas in ipsis fidei suæ ac vestræ articulis blasphemos in Deum & Christúm ac Sanctos. Mitto eas blasphemias contra Deum & Christum à Luthero & Calvino eorumq; sequacibus jactatas, quas *primâ Deceptione* posui, de Deo ut causa omnis peccati, de Christi ignorantia & peccatis ac desperatione: Item contra Scriptores

ptores librorum Canonicorum & Patres *Decept. tertiâ & quartâ*, quas hîc non repeto. Sed præter ibi dicta.

Blasphemat Calvinus, dum lib. 1. Inst. c. 24. §. 14. ait: *Quòd aliqui verbum Dei audire contemnant, ipsorum est pravitas, sed in hanc pravitatem à Deo adducti sunt.*

Blasphemat idem, dum Christum Dominum insimulat vitiosæ perturbationis, stupiditatis, oblivionis salutis nostræ *Harm. in Matth.* 26. 38: cùm tamen etiam Mahometes *in Alcorano azoarâ* 29. dicat Christum fuisse omnis peccati expertem.

Blasphemat, dum ait Scripturam non esse ex se certam nec falsitatis expertem *lib.* 1. *Inst. c.* 8. §. 13: cùm tamen juxta Paulum 2. Tim. 3. 16. *Scriptura omnis* sit *à Deo inspirata*, cui falsitas utpote Veracissimo repugnat.

Quid cùm idem Calvinus *Harmon. in Luc.* tot peccata Beatæ MARIÆ

Virgini imponit? Et *in Luc.* 11. 27. *edit. Gallicâ* ait Christum pro nihilo ducere, quòd Virgo sit sua Mater? Quid cùm idem Sanctos tot scommatibus proscindit, ut suprà retuli? Et tamen Calvinus tam blasphemus in Deum ac Sanctos audet de se dicere, quòd non ipse loquatur, sed per illum Deus è cœlo suam Virtutem exerens, *lib.* 1. *de lib. arbitr. contra Albert. Pighium.*

Blasphemat Philippus Melanchthon, dum ait Judæ proditionem habere auctorem Deum æquè ac vocationem Pauli, teste *Prâteolo.*

Quid cùm Bucerus & Molinæus Beatam Virginem MARIAM in partu ajunt Virginitatem amisisse, *in tert. union. Evangel. parte?*

Quid cùm Magdeburgenses eandem ajunt graviter deliquisse amisso filio in templo, idque dubitant, an peccato Evæ præferre non debeant?

Quales

Quales Stultitiæ! En quales, *quàm blasphemos* habetis in fide Duces!

VI. Ingens & illud vestrum est dedecus, quòd tales sequimini fidei authores, quales Scriptura vocat velut ethnicos & Publicanos.

Nam Matth. 18. 17. dicitur: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus & Publicanus.* At (ut antè insinuavi) Lutherus lib. contra Regem Angliæ, de seipso fatetur: *Nihil, inquit, facio, mille Ecclesias, mille Augustinos.* Et tamen idem *lib. contra Anabaptist.* dicit veram esse fidem in Papatu seu in Ecclesia Romano-Catholica. Ergo dum eam nihili facit & contemnit, dum eam non audit, est juxta Christi dictum velut ethnicus & publicanus; quem tamen vos sequimini.

Similiter faciunt Calvinus & Zuinglius, aliiq;, qui Ecclesiam Catholicam, quam in Symbolo Aposto-

lorum ajunt ſe credere, non audiunt. Sunt ergo & hi velut ethnici & publicani. Tales væſtri Duces & fidei Parentes!

VII. Illud etiam grande omnino veſtrum, veſtræq; fidei dedecus eſt, quòd veſtri hæreſiarchæ in vos tot priſcarum hæreſum ab omnibus damnatarum & pridem exſtinctarum Nomina transfuderint, imò vos conſtituerint variæ fidei, ac proinde nullius, nam juxta Paulum Eph. 4. *Una fides*. Ergo vos nullius fidei, quia non unius. Nam per veſtros novæ fidei auctores,

1. Facti eſtis *Manichæi*, cum quibus cultum Sanctorum Martyrum & reliquiarum & Virginitatem & liberum arbitrium damnatis, ut illi, teſte *Auguſtino lib. de morib. Manich.* & *contra Fauſtum.* & *Genebr. circa Ann.* 277.

2. Facti eſtis *Neſtoriani*, qui duas in Chriſto Perſonas conſtituebant.

Nam

Nam & Beza duas in Christo uniones Hypostaticas agnovit, unam Animæ cum carne, alteram Deitatis cum Humanitate. Et Brentius *lib. de Majestate Christi Hominis* multoties dicit: Filium Dei esse in Filio MARIÆ. Et Calvinus *lib. Inst. c.* 13. §. 8. 9. postquam multa dixit de Verbo æterno seu filio Dei, secunda Trinitatis Personâ; statim addit: *Mediatoris Personam nondum attingo.*

3. Facti estis *Donatistæ*, cum quibus Ecclesiam ex solis justis constare, & in ea nullos esse malos sed bonos tantùm ac electos & Calvinus docuit *l.* 4. *Inst. c.* 1. §. 7. Et Lutherus censuit ad Ecclesiam non pertinere nisi bonos teste *Castr. v. Ecclesia h.* 1.

4. Facti estis *Berengariani*, cum quo Calvinus ac Zuinglius Christi præsentiam in Eucharistia pernegat. Utinam resipiscere hîc vobis contingat, ut resipuit Berengarius!

5. Facti estis *Eunomiani*, *Eustatiani*, *Porphyriani*, cùm nulla homini peccata nocere asseritis fide habitâ. Eunomianos ita censuisse testatur *S. August. de hæres. c.* 54.

6. Facti estis *Messaliani*, qui docebant concupiscentiæ motum ante consensum esse verè peccatum, ut & Calvinus *l.* 3. *c.* 3. §. 10. & Lutherus *Art.* 2. & 31.

7. Facti estis *Aëriani* dum Orationem pro mortuis & pleriq; jejunia rejicitis. Id docuisse Aërianos testatur *Epiphan. hær.* 75.

8. Facti estis *Montanistæ*, qui fas esse putabant (teste *Castr. v. Nuptiæ h.* 5.) pro arbitratu Matrimonii vinculum dissolvere. Nam & Ecclesia Genevensis in multis casibus (ut super innui) facit talem potestatem. De Luthero etiam supra retuli ex ejus *lib. in* 1. *Cor.* 7. *editione Anni* 1525.

9. Facti estis *Iconoclastæ*, dum Sacrarum

crarum Imaginum cultum impugnatis : *Vigilantiani*, dum cultum Sacrarum Reliquiarum.

10. Facti estis *Pelagiani*, cum quibus Zuinglius (*lib. de bapt. teste Prateolo*) negat esse propriè peccatum originale in infantibus : cum iisdem Calvinus, Bucerus, & Zuinglius negant Christianorum filios nasci immundos, sed hæredes vitæ æternæ. Quæ docuisse Pelagianos testatur *S. August. l. 6. in Julian c. 2. 3.*

11. Facti estis *Peputiani*, qui docebant mulieres etiam ad Sacerdotium pomovendas, quod & Lutherus, ut supra retuli, docuit.

12. Facti estis *Novatiani*, qui dicebant (*teste Theodoret. 3.*) non esse in Ecclesia potestatem reconciliandi homines nisi per baptismum ; quod etiam docuit Calvinus lib. 4. Inst. c. 19. §. 17. ubi ait : *Quod Hieronymus ait, Pænitentiam esse secundam post naufra-*

ium tabulam; impium est & excusari non potest.

13. Facti estis *Joviniani*, qui censebant hominem non posse peccare post baptismum verè susceptum, id est, si reverâ fidem & gratiam baptizatus susceperit (teste *Hieronymo l.* 1. *&* 2. *contra Jovin.*) At idem docuit Calvinus *lib.* 2. *Instit. c.* 2. §. 11. 12.

Item ut *Joviniani* dicebant ciborum delectum & jejunia non esse meritoria; *Sic Calvinus l.* 4. *c.* 12. §. 19. Et *Confessio Augustana Art.* 24.

14. Efficiunt vos vestri hæresiarchæ reos *Judaïsmi*, partim quia Martinus Bucerus tum Zuinglianus, tum Lutheranus Christum esse verum Messiam negavit; Partim quia Calvinus usuras non esse damnandas censuit suprà, quod Judæis olim in lege veteri respectu extraneorum est concessum, *Deuter.* 23. *&* 28.

En quàm monstrosam fidem è tot diver-

diverſorum temporum & Authorum hæreſibus conoflatam veſtri vobis primores tradidêre! Hæccinè eſt una fides? ô verè homines variæ fidei, & conſequenter nullius!

VIII. Grande & illud veſtrum fideiq; veſtræ dedecus, quòd iidem hæreſiarchæ conſtituunt vos *pejores Paganis.* Nam pagani ſolo lumine naturali inſtructi obſervant & obſervare docent, pænisqué ad obſervanda ea cogunt, quæ apud Chriſtianos in præceptis de adulterio, falſo teſtimonio, furto, aliisq; continentur. Imò Mahometes in Alcorano azoarâ 43. dicit: *Nolite verba laſciva proferre, ſed honeſta:* Et: *Malum quoque dicentes, mendacii gravisq́ peccati ſupplicio punientur.*

At veſtri hæreſiarchæ nec ſub lege vos eſſe agnoſcunt, nec præcepta Dei curare velut impoſſibilia (quæ tamen & Paganis metu pœnæ civilis poſſibi-

ſia) docent, & liberius peccandi anſam objiciunt, cùm ajunt ſcelera non obeſſe, ſi credas tantùm.

IX. Hinc oritur novum illud veſtrum dedecus, quòd iidem veſtri præcones vos omni honeſtate & vitâ honeſtum hominem addecente, adeoq́; bono nomine exuant. Nam hoc ipſo, quòd iis authoribus cenſeatis vires omninò veſtras ſuperare obſervationem mandatorum Dei, ſequitur vos illa transgredi, adeòq́; contra præcepta Decalogi delinquere, & eſſe fures, adulteros, homicidas, blasphemos, veneficos & ſuperſtitioſos, plurimum Deorum cultores, falſos teſtes, alienorum appetitores, proinde cuilib. domui à vobis timendum eſſe. Hæc enim omnia per legem Dei prohibentur, quam impoſſibilem eſſe vobis illi perſuasêre. Deniq; ſequitur vos eſſe ſimiles damnatis & dæmonibus morali neceſſita-

ſitate Deum odeò habentibus; ſiquidem illud vobis præceptum eſt impoſſibile, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Proinde contra illud ſemper rei vivitis, non tantum negativè ſeu non diligendo ſic, ſed etiam poſitivè ſecundum veſtrorum hæreſiarcharum ſententiam in omni bono opere mortaliter peccando peccatum autem mortale eſt virtualiter ſaltem odium Dei: Eſt enim averſio à Deo & contemptus amicitiæ Dei, & contra ejus infinitam bonitatem.

X. At ò quantum illud fidei veſtræ probrum: Quòd veſtri hæreſiarchæ vos conſtituunt inproximo gradu ad Mahometiſmum. Nam Calviniſmus eſt proximus ad eum gradus. Hinc Guilelmus Reginaldus in Calvinoturciſmo ait: *Qui verè Calviniſta eſt, vix abeſſe, quin Turca vel atheus ſit.* Cui adſtipulatur Godefri-

dus à Valle, qui libellum scripsit de arte nihil credendi; in quo illud dixit: *Oportere priùs Calvinistam fieri, qui atheus esse volet.* Quod & illi ipsi contigit. Atq; proinde non est mirum, quòd Valentinus Gentilis (qui fuit discipulus Calvini) sua dogmata probet ex Alcorano Turcarum, teste *Benedicto Aretio Bernensi Ministro lib. 1. & 3. Historiæ Valentini Gentilis.*

Quod etiam ex eo colligi potest, quód Mahometes in Alcorano dicat Deum esse unum sine participe; per Participem intelligens Christum, quem consequenter negat esse Deum de Deo, quod etiam docuisse Calvinum diximus supra.

Item dum ita hæresiarchæ corporis voluptates sectantur, & continentiam, cœlibatum, & plerique jejunia atq; corporis afflictationes oppugnant ac execrantur; quid aliud

docent

docent; quàm quod in *Alcorano cap.* 5. & 28. 47. 48. Mahometus docet, beatitudinem nimirum in cibo & potu aliisq; voluptatibus consistere.

Præterea sicut Mahometes *azoarâ* 43. dicit licere Matrimonium in secundo gradu consangvinitatis; Ita Calvinus *in Statutis Ecclesiæ Genevensis* (uti etiam Lutherus citatus supra) licere ait patruelium & consobrinorum Matrimonium, Etsi ad vitandum scandalum Calvinus expectare jubeat ministri facultatem.

Consentiunt adhuc cum Mahomete vestri Doctores Lutherus & Calvinus & in eo, quòd ut ille *in Alcorano azoarâ* 72. ait homini sufficere, si in Deum ac Mahometi credat, licet prædatum eat; Sic juxta Calvinum fides sine operum adminiculo sufficit *lib.* 3. *Inst. c.* 11. §. 10. Nec flagitia quæcunq; saluti obsunt, dum fides adsit, juxta Lutherum supra.

Hinc

Hinc dum Lutherus solis Calvinistis apud Gretserum lib. 1. contra Goldastum c. 12. illos titulos attribuit, quòd sint *Progenies viperina, animicidæ, deceptores, infernales molossi, perdiabolati, transdiabolitati, superdiabolati, Germanici Turcæ, Mahometani baptizati à Satana missi & obsessi*; Dum, inquam illis hos tribuit titulos; quidquid sit de prioribus, an illi nempe & Lutheri Sectæ non conveniant; certè postremi duo an etiam illi non conveniant viderint, cum sic cum Mahomete non in paucis tam Calvinus quàm Lutherus conveniant.

Unum addo, quòd etiam in hoc Calvinus quasi mahometizet. Nam ut Mahometes *azoarâ* 3. maximum peccatum dicit vini potum & ludum aleæ ac Scachorum; ita Calvinus *in Statutis Eccl. Genevensis pag.* 12. ludos ac choreas intolerabilia dicit peccata; alia tolerabilia. Omitto plura alia, quæ

quæ videri possunt in Auctore libri, qui inscribitur *Calvinoturcismus.*

XI. Sed adhuc gravius probrum vestræ fidei conflant iidem vestri hæresiarchæ, quòd ea vobis dogmata tradidère, per quae non tantum proximè ad Mahometisinum accedere videmini, ut immediatè ostendi, sed etiam excedere & superare Mahometismum.

Nam *primò* Mahometes (teste *Cedr. Sander.*) dicebat omnium malorum authorem Deum, id intelligens de malis Physicis duntaxat: Calvinus illum superat, id extendens etiam ad mala culpæ, aitquê, quòd Deus homines agat præcipites in fœdas cupiditates, ut habet *lib. 1. Inst. c.* 18. §. 2.

Secundò Mahometes *azoarâ* 2. ait Castitatem esse impossibilem: Calvinus impudentiùs dixit, stultam esse imaginationem, infectam ac fœtidam

dam sanctitatem, Satanæ fascinum, laqueum exitialem, cœlibatum & statum Virginitatis. *Harmon. in Matth.* 9. & *in* 1. *Cor.* 1. Lutherus hîc non melior, ut patet ex supradictis & *ejus to.* 5.

Tertiò Mahometes *azoarâ* 5. & 75. Beatam Virginem MARIAM appellat, omnibus viris & mulieribus splendidiorem & mundiorem, soli Deo perseveranter studentem: Item MARIAM se dirigendo nil malitiæ seu pravitatis operatam esse.

At Calvinus & Lutherus non loquuntur de hac Divina Parente tam honorificè, utpote cùm Lutherus *Serm. de Nativ. B.V.* se suosq; justos quanticunque sint, pares esse MARIÆ, & Calvinus *Harmon. in Luc.* 1. 2. 8. *in Matth.* 12. eam multorum criminum ream faciat. Plura videre poteris *in Gaulterio de Mahomate. Sæculo Sexto.*

XII. Gra-

XII. Grave adhuc ex fide vobis tradita redundat, probrum, in qua vestri hæresiarchæ vos exuunt libertate, & faciunt velut pecora non sui juris, sed tantum trahi & cogi, impelli ac necessitari ad omnia etiam pessima invitos; cùm vos libero carere arbitrio mentiuntur. Præterea exuunt vos Dominio eorum quæ possidetis ac superioritate; cùm dicunt nullam esse superioritatem inter Christianos (ut supra citavi locum) sed omnes æqualiter alteri subjectos, consequenter vos spoliant subditis & servis.

XIII. Nec illud minimum est fidei vestræ probrum, quod hæresiarchæ illam vivendi rationem vobis præscripserint, quæ recedit maximè ab illa Ecclesiæ nota, quam esse *Sanctam* in Symbolo Apostolorum profitemur. Nam Smidelinus Lutheranus de suis Lutheranis Conc. 4. super

per caput 21. Lucæ ſic conquerebatur: *Ut mundus cognoſcat, eos non eſſe Papiſtas, nec bonis operibus quidquam fidere, illorum etiam operum nihil exercent penitùs: jejuni loco, commeſſationibus & perpotationibus nocte dieq́ vacant: ubi pauperibus benignè facere convenit, eos deglubunt & excoriant, precationes vertunt in juramenta, blasphemias & Divini Nominis execrationes, idq́ tam perditè, ut Chriſtus ne ab ipſis quidem Turcis hodie tantoperè blasphemetur; atq́ hoc univerſum vitæ genus ab illis Evangelicum dicitur inſtitutum.* Hæc omnia Smidelinus ipſe ejusdem farinæ. Neſcio an melior modò ſit Eccleſia Lutherana; ſi talis fuit eorum Eccleſia primitiva.

Hoc idem Lutherus ipſe fatetur in Poſtilla domeſtica Jenæ impreſſa, Conc. 2. Prima Domin. Adven. dicens: *Mundus ex hac doctrina* (Evangelicorum) *quotidiè redditur deterior.*

Jam

Jam homines singuli septenis diabolis obsidentur, cùm antea (in Papatu) unico tantum diabolo obsessi fuissent. Homines multò deteriores, quàm priùs in Papatu fuerant.

Similiter Calvinus in caput 11. Danielis fatetur: *In exiguo,* inquit, *eorum numero, qui se ab idololatriis Papatus subduxerunt, major pars plena est perfidiâ & dolis: præclarum quidem zelum simulant, si tamen intùs excutias, reperies plena esse fraudibus.* Et in Comment. 2. Petr. 1. ait: *Vix eorum decimus quisque est, qui alio fine Evangelio nomen dederit, quàm ut solutiùs in omnem lasciviam difflueret.*

De impudentia & scurrilita eorum taceo. Nota hæc in Luthero, Beza, Batavo & similibus. Patet *in colloquiis mensalibus Lutheri, versiculis Bezæ & Oveni,* & *in Floribus Calvinisticis*: ubi nil occurret ferè, nisi lupanar, lenones, stupra, &c. adeò ut exclamet

Eras-

Erasmus in Epistola ad fratres inferioris Germaniæ: *Quæ malum, istâ salacitas? unde tanta carnis rebellio in iis, qui se jactant agi Spiritu Christi?*

Deniq; Lutherus *in Epist. de moribus Turcarum* ait, in moribus bonis seu bonis operibus Turcas esse longè superiores Christianis seu Lutheranis suis.

XIV. Postremò in vos vestramq; fidem grandis redundat infamia ac ignominia à miserabili & infelici vestrorum hæresiarcharum interitu.

1. Nam *Calvinus* (teste *Hieronymo Bolseco in ejus vita*) dæmonibus invocatis, blasphemans & execrans, insuper phtiriasi consumptus ut impius ille Herodes & Antiochus infelicem eflavit animam, cùm antea totos quatuor annos; novem morbis diversis teste Bezâ miserè excruciaretur. Scilicet ille fuit prædestinatus, & hæ illi blasphemiæ cœlum aperuêre!

2. *Luthe-*

2. *Lutherus* verò repentinâ morte extinctus, postquam sumptâ opiparè instructâ cœnâ facetiis suis omnes ad risum excitâsset teste *Cochlæo in vita Lutheri*. Talis fuit dispositio ad mortem in tali Propheta! Imò Thomas Bocius *to. 2. de signis Ecclesiæ lib. 23. c. 3.* testatur se audisse ex puero, qui tunc Luthero serviebat, Lutherum sibimetipsi laqueo inserto necem miserrimam intulisse; Sed datum protinus cunctis rei consciis juramentum, ne factum divulgarent ob honorem Evangelii Lutherani.

3. *Zuinglius* in libello contra Christianos miserè interiit à suis Helvetis mactatus devota Orco victima, & post mortem combustus ut proditor & hæreticus. Teste *Cochlæo in lib. de actis Lutheri circa Annum* 1531.

4. *Andream Carolstadium* à Dæmone interfectum ipsi Basileenses Ministri scribunt Epist. de ejus mor-

te.

te. Et in Historia Confessionis Augustanæ edita Lipsiæ pag. 40. ajunt: *Diffiteri nemo potest, Carolstadium ab ipso Satana suffocatum interiisse.*

5. De *Bucero* testatur Bozius: *Animam, inquit, agenti ferunt astitisse dæmonem horrendum, qui cunctos adstantes timore exanimârit. Mox lecto deturbatus Bucerus, effusis per cubiculum huc illuc visceribus, cum multis cruciatibus interiît.*

6. De *Oecolampadio* testatur Beza, eum noctu morte improvisâ strangulatum, de quo etiam Lutherus lib. de Privat. Miss. ait, quòd ignitis telis diaboli sit confossus. Etsi aliqui illum desperâsse, & sibi necem consciviſse dicant.

7. De *Osiandro* Lindanus *in Dubitantio Dial.* 3. narrat, quòd planè mutus ut bestia horribiliter sit extinctus.

Sic

Sic pereunt! sic *pareant* (ait Psaltes Psal. 67.3.) *peccatores à facie Dei*! Ego illud vobis in aurem: Timete, ne quorum fides ac vita similis, similis ac æqué infelix sit exitus & interitus.

Concludo hæc Probra:

O *fidem* decoram! imò ô probrum fidei, quam vobis hi tradidêre!





DECEPTIO IX.

Acatholicorum ab eorum Hæresiarchis.

Quam vos adhuc fraudulentissimè illaqueârint vestræ fidei Inventores, patet insuper ex ipsorummet confessione suis Scriptis obiter inspersa.

Quia fatentur ipsimet hæresiarchæ, fidem Catholicam, seu sub Papatu esse veram; suam vero, quam vobis tradiderunt, esse falsam, nec ex Deo natam.

Prima Pars.

Quod nempe fateantur ipsimet Fidem Catholicam esse veram;

Patet ex Calvino:

Primò:

Quia Calvinus fidem Catholicam quæ nunc viget eoq; vivente viguit,

viguit, fatetur antiquæ Ecclesiæ & vetustissimorum ac Apostolicis temporibus proximorum Patrum fidei consentire. *Ergo* hoc ipso fatetur incorruptam ac proinde veram. Quæ consequentia tantò magis & quidem ad hominem urget, quòd Calvinus fateatur primis quinque circiter sæculis fidem in Ecclesia Catholica viguisse incorruptam. Nam l. 4. c. 2. §. 2. & 3. ait: *Ad ætatem Augustini aliorumq; veterum Doctorum extra controversiam est, nihil fuisse à principio mutatum in doctrina, neque Romæ, neque in aliis urbibus.* Antecedens hujus argumenti per Inductionem ostenditur.

Nam inprimis de Libero arbitrio fatetur ita olim ut nunc Catholicam Ecclesiam docuisse, quia lib. 2. Inst. c. 2. §. 4. 8. ait: *Semper apud Latinos arbitrii liberi nomen extitit: Apud Græcos multò arrogantiùs vocatum: Omnes*

veteres in hac re plus æquo extulère humanas vires, & de libero arbitrio aut variârunt, aut vacillârunt. Hæc ille.

Deinde de Satisfactione, fatetur Catholicorum sensum lib. 3. c. 4. §. 34 ubi ait: *Omnes ferè veteres aut hac in parte lapsi sunt, ubi de Satisfactione agitur, aut nimis asperè aut durè locuti sunt.*

Præterea de Oratione pro defunctis fatetur lib. 3. c. 5. §. 10. dicens: *Ante mille & trecentos annos usu receptum fuit, ut precationes fierent pro defunctis. Sed veteres omnes, fateor, in errorem abrepti sunt.*

Præterea de Sacrificio Eucharistiæ in Nova Lege fatetur veterum sensum lib. 4. c. 18. §. 11. dicens: *Veteres quoque illos video aliò hanc memoriam detorsisse, quod nescio quam repetitæ aut saltem renovatæ immolationis faciem eorum cœna præseferebat.*

Item de possibilitate servandæ legis l. 2. c. 7. §. 5. ait: *Quòd impossibilem*

lem legis observationem diximus, solet absurdissima videri sententia, adeò ut Hieronymus non dubitârit illi anathema dicere. Quid visum sit Hieronymo, non moror.

Item de cælibatu Sacerdotum fatetur *lib.* 4. *c.* 4. §. 10.

De Quadragesima & jejunandi consuetudine fatetur *lib.* 4. *c.* 12. §. 20.

De Pœnitentiæ Sacramento fatetur *Antid. Trid. Sess.* 6. *c.* 15. & sic de aliis.

Secundò. Hoc ipso Catholicam fidem approbat ceu veram Calvinus quòd (ut supra *Decept. Quarta* attuli) recipiat quatuor prima & similia Concilia Generalia quoad dogmata fidei; quæ dogmata etiam nunc tenet & Calvino vivente tenuit Ecclesia Catholica. Item quòd dicat viguisse fidem incorruptam ad Augustinum & veteres Patres tam Romæ quàm in aliis urbibus. Atqui eadem

 fides

fides nunc Romæ & in Catholicis urbibus viget, quæ ad Augustinum. Ut ostendam claris testimoniis Patrum adducendis in fine libelli. *Ergo.*

Tertiò. Hoc ipso Calvinus fatetur Ecclesiam & fidem esse veram, quòd S. BERNARDUM Catholicum utique, qui benè ante Calvinum vixerat, appellet *Pium Scriptorem* c. 10. §. 17 Quomodo enim aliquis pius sit in fide impia & falsa? Ergo sentit fidem Carholicam, in qua Bernardus vixit & obiit, veræ pietatis esse parentem; Pietas autem (teste Paulo) 1. Tim. 4. 8. *utilis est ad omnia*, consequenter ad salutem animæ.

Quartò. Theodorus Beza etsi plurimis locis Ecclesiam Catholicam proscindat; tamen in libr. quæstionum & resolutionum. Par. 2. q. 131. sic ait: *Dicó Dominum nostrum Jesum Christum voluisse ac velle adbuc Ecclesiam suam*

am latere inter Papatûs ipsius viscera. Hæc Beza Calvinista. Quid clarius ac luculentius dici poterat pro veritate Catholicæ fidei & Ecclesiæ?

Patet idem ex Luthero:

Primo:

QUia (ut suprà *Decept. Quartâ* citavi *lib. contra Anabaptistas*,) fatetur sub Papatu esse veram Christianitatem imò nucleum Christianitatis, verum Catechismum & Articulos Fidei. Quid velitis clariùs pro Catholica fide & Ecclesia, quàm ibi Lutherus dicat? Ut vel hinc colligere possetis non tantùm sensisse illum veram esse Catholicam fidem, sed etiam contra conscientiam vos dementâsse, quibus quia oppositam, hoc ipso falsam fidem propinârit.

Secundò. Quia idem Lutherus *lib. de Abroganda Missa*, propè finem vocat Sanctos, BERNARDUM,

DOMINICUM, FRANCISCUM. Ergo fatetur eorum fidem, quæ utique fuit Catholica, esse veram. Quomodo enim hi sancti essent *sine* vera *fide*, sine qua *est impossibile placere Deo*, teste Paulo? Hebr. 11. 6.

Tertiò: Quia Franciscus Stancarus abnepos Lutheri approbat doctrinam utique Catholicam Magistri Sententiarum Petri Lombardi. Nam *lib. contra Tigurinos* profitetur se sequi doctrinam illius & Scholasticorum de Persona Mediatoris, & de Magistro tam honorificè loquitur, ut eum omnibus Sectariis anteponat. Dicit enim sic: *Plus valet unus Petrus Lombardus, quàm centum Lutheri, ducenti Melanchtones, trecenti Bullingeri, quadringenti Petri Martyres, quingenti Calvini; qui omnes si in uno mortario contunderentur, non exprimeretur vera uncia veræ Theologiæ.* Hæc ille.

Patet

Patet idem ex Helvetis:

NAm hi in primo Articulo Concordiæ suæ cum Catholicis scribebant: Se velle deinceps dimittere Confœderatos suos Catholicos quietos, circa veram, indubitatam & Catholicam fidem suam.

Catholici verò scribebant, se velle dimittere confœderatos circa fidem eorum. *Nihil addendo de veritate illorum fidei*; & tamen id non ægrè ferebant Helvetii hæretici, qui veritati fidei Catholicæ luculentum testimonium perhibuerant.

Patet idem ex Magdeburgensibus:

NAm (*Primò.*) Cent. 8. cap. 2. col. 20. Ecclesiam Catholicam vocant *Ecclesiam Dei*, & honorificè de S. Bonifacio Martyre & Episcopo Catholico loquuntur sic: *Hoc Sæculo* (id est, Anno Domini 730.) *post-*

quam illuxit tempus, quod Dominus misericordiæ suæ præfinivit, majori cum fructu res successit. Nam excitavit Dominus Vinofridum, quem Romani dixerunt Bonifacium, cum suis Collegis ad Ecclesiæ suæ in Germania propagationem, & opus manuum eorum ipse gubernavit & promovit.

Hæc Centuriatores, obliti Bonifacium fuisse Papistam, quem alibi carpunt, cùm in Præfat. ejusd. Centuriæ ajunt: *Talis fuit dromo Bonifacius ille Germanorum Apostolus dictus, qui in hoc summo studio incubuit, ut universam Germaniam in potestatem Romani Papæ redigeret.*

Secundò. Iidem Centuriatores fidem Catholicam quæ nunc viget, antiquitus in Ecclesia fuisse testantur, Tum de libero arbitrio *Cent.* 2. *c.* 4. *col.* 59: Tum de Justificatione *Cent.* 4. *col.* 293. ubi etiam veterum Patrum afferunt testimonia pro Invocatione Sanctorum, &c.

Si ergo fidem Catholicam toti antiquitati, quæ proximo Apostolis tempore floruit, fatentur consentire, hoc ipso fatentur eam hucusque esse, & fuisse incorruptam, adeoq; veram.

Pars Secunda.

Argumenti Noni.

Quod nimirum hæresiarchæ fassi sunt doctrinam à se traditam, esse falsam, nec ex Deo natam;

Colligitur Primò:

UNiversaliter ex proximè dictis. Eo enim ipso fides ab hæresiarchis tradita vobis est ut falsa; ab ipsis cognita, quia Catholicæ fidei, quam vel palàm vel tacitè innuunt esse veram, esse oppositam sciebant. Vera enim fides est *una fides*, nec unitas sibi ipsi adversatur. Imò cùm fides verbo & testimonio Dei innitatur, veritas autem & veracitas ne-

queat idem simul affirmare & negare; hinc siquidem vera sunt quæ fides Catholica nixa verbo Dei docet, falsa esse debent quæ per oppositum fides Sectariorum adstruit.

Colligitur Secundò. Quia *in actis Lutheri* testatur Cochlæus Anno Domini 1517. quòd in prima disputatione cum Eckio dixerit Lutherus: *Hæc causa nec propter Deum cœpta est, nec propter Deum finietur.* En ut fidei suæ initium fatetur non esse ex Deo nec propter Deum!

Colligitur Tertiò. Tum quia, ut supra notavi, fatetur se Lutherus à Diabolo utiq; mendacii Patre inductum Missas abolevisse & communionem sub utraque specie induxisse; quo ipso fatetur suam fidem falsam esse, Diabolicam & ex Diabolo natam: Tum quia idem fassus est toties se errâsse in vertendis Bibliis, in quibus tamen sic perversè editis fidem

fidem suam fundabat hic apostata.

Colligitur Quartò. Quia Calvinus hoc ipso fidem suam vanam & suspectam censuit, quòd illi notam veræ fidei, scilicet diuturnitatem polliceri noluit, nec potuit. Ita enim in Præf. sui Catechismi ad Genevenses, quem ad Ministros in Frisia Orientali miserat, ait: *De posteritate ego sic sum anxius, ut tamen vix cogitare audeam*; quod ipse infrà vocat *vaticinium*, non *conjecturam*.

Colligitur idem specialiter ex Bucero.

Hic Zuinglianus ante, mox Lutheranus (audiant illum utrique) *Comment. in Joan. 6. & Matth. 26.* veniam precatur à Deo & Ecclesia, quòd ipse multos hæresi Zuinglii fascinaverit; quam tamen antea scripserat *Epist. ad Norimberg.* esse divinitus à Christo traditam & Luthe-

ri doctrinam esse novam, & cum sacris literis pugnantem. Imò *in Epist. ad Eslingenses* vocat Lutheranos, ipse Lutheranus fanaticos, Svermeros, furiosos, &c.

En ut vestri hæresiarchæ se ipsos jugulant, & suo stylo ac telo perimunt, fidemq; suam ac vestram confodiunt!



DE-



DECEPTIO X.

Acatholicorum ab eorum Hæresiarchis.

Venimus ad potissimam fraudem, in quam vos impulerunt hæresiarchæ. Hæc unica est, cui potissimùm vestræ hæreses innituntur.

Quòd falsò vobis persuaserint, Ecclesiam Catholicam à vera fide defecisse ac errâsse.

Quam fraudem convellere & clarissimè hîc detegere conabor. Sic enim nulla vestri erit excusatio coram Deo & in conscientia, si falsitate huius fundamenti vestri compertâ, in errore diutiùs persiteritis.

§. I.

Primum Argumentum.

Quo probatur, falsò asseri, Ecclesiam Catholicam defecisse ac in fide errâsse.

Illa

ILla Ecclesia, cui Christus promisit, quòd non esset defectura, nec erratura, deficere & errare non potuit, consequenter non defecit, nec erravit. *Sed* Ecclesiæ suæ promisit Christus utrumque. *Ergo* ejus Ecclesia deficere & errare non potuit, nec defecit aut erravit.

Major omninò vera: Christus enim utpote ipsa VERITAS, verax est in dictis & promissis.

Minorem tum ex Scriptura, tum ex Patribus ostendo.

I. Christum promisisse Ecclesiæ durationem continuam, seu quòd non esset defectura.

Probatur ex Scriptura:

Primò.

QUid clariùs toties allato textu Luc. 22. 32. ubi Christus ait: *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua?* Nisi dicat quis Christum frustra

ſtra rogâſſe, nec exauditum in re tanti momenti pro ſua reverentia. Sed hoc unde?

Secundò. Matth. 16. 18. univerſalius promiſit Chriſtus: *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* At verò prævaluiſſent, ſi Eccleſia defeciſſet.

Tertio. Matth. ultimo v. 20. Chriſtus Eccleſiæ ſuæ promiſit: *Et ecce ego vobiſcum ſum, omnibus diebus usque ad conſummationem ſæculi.* Quæ verba clariſſimè perpetuam cum Eccleſia ſua Sponſa permanentiam indicant. Quomodo enim Omnibus diebus cum ea permanſiſſet, ſi aliquando Eccleſia defeciſſet? Aut quomodo cum ea exiſteret, quæ non exiſteret? Atque ſic eadem verba interpretatur *Leo primus Epiſt.* 13. *ad Pulcheriam Auguſtam.*

Quartò. Ad Epheſ. 4. 11. dicitur de

Chri-

Christo: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios Evangelistas, alios Pastores & Doctores in consummationem Sanctorum, donec occuramus omnes in unitatem fidei & agnitionis Filii Dei.* Hîc clarè promittitur tamdiu duratura continuatio Pastorum & Doctorum Ecclesiæ, consequenter Ecclesia, donec unitas fidei sit in omnibus, & illud impleatur Joan. 10. 16. *Et erît unum ovile, & unus Pastor.* Quod quia nondum est, nec fuit; ideò adhuc durat promissio allata ex Paulo; Proinde durat & Ecclesia, nec defecit.

Quintò. 1. Tim. 3. 15. dicitur Ecclesia *Columna & Firmamentum.* Hoc certè vocabulo stabilitas ejus indicatur: Alioquin si defectura esset, arundo potiùs vento agitata vel confringenda dici debuerat, non, *columna & firmamentum.*

Sextò. Huc & illud spectare videtur dictum ab Angelo Luc. 1. 33.

de

de regno Christi, quod est Ecclesia: *Et Regni ejus non erit finis.*

II. Christum Ecclesiæ promisisse, quod non esset erratura.

Probatur ex Scripturis.

I.

QUia promisit Ecclesiæ suæ perpetuò affore Spiritum Sanctum. Nam Joan. 14. 16. dicit: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis Spiritum Veritatis, ut maneat vobiscum in æternum.* Si ergo cum Ecclesia Christi semper seu in æternum mansurus promittitur *Spiritus Veritatis*, quomodo eadem erret? Aut si errat, quomodo Spiritus Veritatis cum illa?

II. Item Joann. 16. 13. promisit: *Spiritus Paraclitus docebit vos omnem veritatem*, ille scilicet, de quo Paulò ante dixerat, *Manebit vobiscum in æternum.* At quomodò *Omnem*; si unquam in

in aliquo erraret Ecclesia? Cæcus planè, qui hîc Catholicam Veritatem non videat?

III. Item Joann. 17. v. 17. & 20. sic Christus orat: *Pater, sanctifica eos in Veritate: Non pro eis tantùm rogo, sed pro illis etiam, qui credituri sunt per verbum eorum.*

IV. Item huc iterum facit quod Paulò antè attuli ex Luc. 22. 32. *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* At deficeret, ubi erraret. Quando enim error esset & falsitas, fides non esset, cui nequit subesse falsum utpote fundatæ in auctoritate Dei revelantis.

V. Iterum huc facit ad Titum 3. 15. *Ecclesia est columna & firmamentum Veritatis.* At infirmum id, imò nullum veritatis firmamentum esset, si illud aliqua falsitas & error labefactare ac subruere posset.

III. Ec-

III. *Ecclesiæ duratio perpetua & indefectibilitas.*

Probatur ex vetustis Patribus.

S. Augustinus in Psal. 9. 1. contra Donatistas ait: *Sed illa Ecclesia quæ fuit omnium gentium, jam non est, periit: Hoc dicunt, qui in illa non sunt. O impudentem vocem! Illa non est, quia tu in illa non es. Vide, ne tu ideo non sis: Nam illa erit, etsi tu non sis.*

Idem infrà inducit Ecclesiam sic loquentem: *Quamdiu ero in isto sæculo, annuntia mihi. Et annuntiavit, nec vacua est vox ista: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.*

Idem lib. 1. de Symbolo c. 6. ait: *Ipsa est Ecclesia vera, Ecclesia Catholica, contra omnes hæreses pugnans: Pugnare potest, expugnari non potest.*

Ambrosius lib. 4. Hexamer. c. 2. ait: *Ecclesia tempore persecutionis & pacis videtur sicut Luna deficere, sed non deficit:*

deficit: Obrumbrari poteſt, deficere non poteſt.

Hieronymus lib. 1. contra Pelagium ait: *Petrus Apoſtolus fuit, ſuper quem Eccleſia Domini, ſtabili mole fundata eſt, quæ nec impetu fluminis, nec ullâ tempeſtate concutitur.*

Leo Serm. 2. de aſſumptione ſua inquit: *Soliditas illius fidei, quæ in Apoſtolorum Principe laudata eſt, perpetua eſt; & ſicut permanet, quod in Chriſto Petrus credit, ita permanet, quod in Petro Chriſtus inſtituit.*

Gregorius in Pſal. 5. Pœnitentialem ait: *Eccleſia dicta eſt terra, quia in ſoliditate fidei perpetuâ firmitate immobiliter perſeverat.*

IV. Eccleſiam errare non poſſe, ex SS. Patribus demonſtratur.

S. Auguſtinus lib. 1. contra Creſconium ait: *Quisquis falli metuit, Eccleſiam conſulat.* Idem Epiſt. 18. *Diſpu-*

Disputare contra id quod universa Ecclesia sequitur, insolentissimæ insaniæ est.

Idem contra Epist. Manichæi ait: *Ego Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.*

Idem in Psal. 57. ait: *In ventre Ecclesiæ veritas manet: Quisquis ab hoc ventre separatus fuerit, necesse est ut falsa loquatur.*

Cyprianus lib. 1. Epist. 3. inquit: *Eos esse Romanos, ad quos perfidia habere accessum non possit.*

Hieronymus lib. 3. Apolog. contra Ruffinum ait: *Romanam fidem Apostolicâ voce laudatam ejusmodi præstigias non recipere: Etiamsi Angelus aliter annuntiet, quàm prædicatum est, Pauli auctoritate munitam mutari non posse.*

Gregorius Nanzianzenus carmine de Vita sua inquit: *Vetus Roma ab antiquis temporibus habet rectam fidem, & semper eam retinet, sicut decet urbem, quæ toti Orbi præsidet, semper de Deo integram fidem habere.*

Theodoretus epiſt. ad Renatum Presbyt. Romanum ait: *Tenet iſta Sancta Sedes gubernacula regendarum cuncti Orbis Eccleſiarum, cùm propter alia, tum quia ſemper hæretici furoris expers permanſit.*

Cyrillus apud S. Thom. in Catena inquit: *Secundùm hanc promiſsionem Eccleſia Apoſtolica Petri ab omni ſeductione & hæretica circumventione immaculata manet.*

---

§ II.

Secundum Argumentum.

Quo probatur, falsò Hæreticos objicere Eccleſiæ defectionem ac errorem; ſed potiùs eam ab Apoſtolorum temporibus manſiſſe incorruptam

Quia ſi fides & Eccleſia Catholica defeciſſet fuiſſetq; immutata, poſſet hujus mutationis ac defectionis tempus aſſignari, quando cœpe-

cœperit: Locus, ubi inceperit: auctor hujus mutationis. Item posset ostendi, in quo defecerit à primæva doctrina: Item, quæ contra illam sic deficientem Concilia Generalia congregata fuerint: Quis eam ex incorruptæ fidei auctoribus unquam oppugnaverit.

Sed nihil istorum ostendi potest ab hæreticis. *Ergo* falsò illam asserunt defecisse vel immutatam.

Major Argumenti certa. Alioquin, si aliquid ex illis in *Majori* enumeratis deesset, sine fundamento adstrueretur defectio errorq; Ecclesiæ.

Minor facilè ostenditur à Catholicis: Nam.

NON POSSUNT PRIMO hæretici assignare tempus & annum hujus defectionis ac immutationis erroneæ, sicut nos scimus hæresim Arrianam cœpisse Anno Domini 324. hæresim Nestorianam Anno

no Domini 431: hæresim Eutychianam, Anno Domini 448: hæresim Macedonianam Anno Domini 151: hæresim Manichæorū Anno Domini 277: hæresim Pelagianam Anno Domini 405: hæresim Lutheranam Anno Domini 1517: hæresim Zuinglianam Anno Domini 1525: post alios duos Annos hæresim Anabaptistarum, qui partem majorem Lutheranorum ad se traxerunt: Item hæresim Calvinianam Anno Domini 1538. & aliis sæculis infrà indicandis.

NON POSSUNT SECUNDO designare locum, ubi primò fides Catholica defecerit ac immutata fuerit, sicut nos scimus Arrianismum cœpisse in Ægypto, Nestorianismum in Thracia, Samosatenismum Antiochiæ; Manichæismum in Persia, Lutheranismum in Saxonia, &c.

Imò certum est, quòd post primos 500. annos (quibus etiam Calvinus testa-

testatur suprà, viguisse fidem incorruptam) Romæ & alibi, totus Orbis *Gregorio Magno* adhæserit, ut patet ex ejus Epistolis datis ad Episcopos Orientis, Hispaniæ, Africæ, Siciliæ, Angliæ. Item post Gregorii obitum, celebratum est Concilium sextum Generale post Annum Domini 670. (quod etiam adversarii recipiunt, ut patet ex Confessione Tigurinorum & Centuriis) ex quo Concilio manifestè colligitur, totum Orientem & Occidentem cum Agathone Romano Pontifice & Ecclesia Romana fuisse conjunctum.

Idem etiam Beda, (qui factus Sacerdos circa Annum Domini 701. vixit ad Annum Domini 776. ut est in Chronologia Gaulterii) de suis temporibus testatur.

Idem testantur *Centuriatores cent.* 11, *c.* 2. *col.* 27. qui dicunt Hungaros magna ex parte conversos circa

Annum Domini 984. & Episcopos illis datos â Romano Pontifice fuisse confirmatos, petente hanc confirmationem sancto Stephano Rege Hungariæ Catholico, testibus iisdem.

Idem subsecuta ætate testatur Bernardus Abbas Claravallensis, affirmans suis temporibus, hoc est, circa *Annum Domini* 1150. Romano Pontifice adhæsisse totum occidentem & Orientem, item Franciam, Germaniam, Angliam, Iberos & plurimas Barbaras Nationes. lib. 2. Vitæ Bern. c. 7.

Eandem fidem Catholicam durâsse circa tempora Calvini & Lutheri, patet ex ipsorum testimonio, nam fatentur se ex Catholica Ecclesia prodiisse. Lutherus enim *lib. de Angulari Missa*, fatetur se fuisse Monachum Catholicum & Missas celebrâsse per Annos 15. seriò ac devotè. Et *lib. contra Anabapt.* ait à Papatu eti-

am

am ad ſeſe bonum Chriſtianum perveniſſe. Calvinus è Catholica Parochia, ad Genevenſem Cathedram transiit.

Ergo perpetuâ ſucceſſione ad tempora Lutheri & Calvini duravit Eccleſia Catholica per orbem latè diffuſa: Conſequenter nec locus nec tempus, oſtendi poteſt ejus primæ defectionis ac mutationis.

NON POSSUNT TERTIO auctorem hujus defectionis dicere, ut nos aſſignamus Arrium, Neſtorium, Macedonium, Pelagium, Manetem, Donatum, Eutychetem, Berengarium, Huſs, Lutherum, Zuinglium, Calvinum, Brentium, &c. Hinc neq; nos ab illo auctore appellârunt particulari nomine, ut illi ab Arrio Arriani, à Neſtorio Neſtoriani, & Lutherani à Luthero, &c. dicuntur.

NON POSSUNT QUARTO oſtendere, in quo fides ac Eccleſia

Catholica quocunque illo authore defecerit, quod novum dogma docuerit, cùm nullum dogma fidei Catholicæ sit, quod non fuerit antiquitus, quod patet tum ex confessione Magdeburgensium in suis centuriis, ut supra retuli; tum ex Illyrico, qui omnia nostra dogmata in omnium etiam antiquissimorum Patrum libris invenit, & hîc ult. §. ostendetur.

NON POSSUNT QUINTO ostendere, quis primò deficientem Ecclesiam ex authoribus fidei incorruptæ oppugnaverit, & velut noviter ortam impetiêrit; vel quæ contra illam ejusq; novam doctrinam coacta Concilia Generalia, sicut scimus Arrianos mox oppugnatos ab Athanasio, Hilario, Silvestro, à Concilio Nicæno: Nestorii hæresim oppugnatam à Cyrillo, Epiphanio, Cœlestino, & Concilio Ephesino: Hæresim

Mace-

Macedonii â Græcis Patribus & Concilio Constantinopolitano: Eutychetem à Concilio Chalcedonensi: Lutherum & Calvinum à Tridentino & omnibus Academiis Catholicis & Doctoribus quàm plurimis.

Infero:

Cùm nec tempus, nec locus, nec auctor, nec punctum defectionis ac erroris in fide Catholica ostendi possit; falsò ergo, & arbitrariè imò malevolè dicunt hæresiarchæ illam defecisse, errâsse.

---

§. III.

Argumentum Tertium.

Quo Ecclesiam Catholicam non defecisse, nec errâsse probatur.

QUia debet esse aliqua fides, de qua Christus Petro dixit, *Rogavi ut non deficiat fides tua.* Ergo debet esse fides aliqua non deficiens, & in qua salvantur, quicunq; à tem-

poribus Apoſtolorum hucuſque ſalvantur, conſequenter, quæ à temporibus Apoſtolorum hucuſque durâvit ſitq; duratura.

Sed nullorum hæreticorum fides, fides poteſt dici Non deficiens ſeu cui quadret illud promiſſum , *Non deficiet fides tua*; nec ullorum hæreticorum fides duravit à temporibus Apoſtolorum hucuſque; nec alia fides ſupereſt, de qua poſſit id luculentiùs oſtendi id quod in Majore poſitum, niſi de Catholica fide.

Ergo nulla alia præter Catholicam eſt illa fides non deficiens & hucuſque durans ac durata.

In ſubſumpto tota vis, quod manifeſtè hic oſtendo:

Probatùr ſubſumptum generatim.

QUia à temporibus Apoſtolorum ad Lutheri tempora fuerunt ad minimum ducenti hæreſiarchæ (ut

ex Historiis Ecclesiasticis patet) & diversæ hæreticorum familiæ potentissimis Patronis, nempe Imperatorib. Regibus, Scriptoribus suis nixæ; Tamen ante Lutherum ex illis plus quàm ducentis hæresibus omnes defecerunt, omnes exstinctæ, ita ut tantùm reliquæ fuerint Nestorianorum & Eutychianorum in Oriente, Hussitarum in Boëmia, & aliquid Arrianorum in Polonia, ex qua hi jam penitùs ejecti.

Confirmatur id ex Theodoreto, qui *lib. de hæret.* septuaginta & sex diversas hæreses ad sua tempora numerat, (vixit autem Theodoretus circa annum Domini 423.) tamen *lib. 3. ejusd. operis* dicit omnes illas exstinctas paucis relictis.

Confirmatur & ex Augustino, qui *lib. de hæresib.* numerat 88. hæreses ex quibus plurimas interiisse testatur *in Psalm.* 57.

Probatur subsumptum argumenti in Particulari:

NAm *Primo Sæculo* ad Annum Domini 100. emerserant hi hæretici: Simon Magnus, à quo Simoniaci, Pseudoapostoli, Ebionitæ, Cherintiani, contra quos S. Joannes scripsit Evangelium, Nicolaïtæ, de quib. in Apocalypsi, Thebutiani, Menandriani, Alexander Ærarius à Paulo Satanæ traditus ob fidei desertionem, Hymenæus, Philetus, de quibus 1. *Timoth.* 1. 20. & 2. *Timoth.* 2. 18. Diotrephes. At horum brevi extinctorum vix nomina sciuntur, non tantùm fides non duravit aut durat.

Sæculo secundo ad Annum Domini 200. hi fuêre hæretici, Saturniani, Basilidiani, Carpocratiani, Valentiniani, Gnostici, Antitacti, Nazoræi, Ophitæ, Cajani, Sethiani, Ptolemaitæ Secundiani, Marcitæ, Heracleonitæ, Cerdonistæ, Marcionistæ, Lucanistæ, Ap-

Appellitæ, Montanistæ seu Cataphryges, Quintiliani, Ascodrogitæ, Pattalorynchitæ Tatianistæ seu Encratitæ, Severiani, Archontici, Adamitæ, Quartadecimani, Theodotiani, Peputiani, Artorytæ, falsi Martyres. At horum & fides & memoria periit, & non citò exorta interiit.

Sæculo tertio ad Annum Domini 300. hæ fuêre hæreses & Sectarii: Tertullianistæ, Symmachiani, Arabici, Agrippiniani seu Rebaptizantes, Homousiastæ, Origenistæ, Metangismonitæ, Elcesaitæ seu Sampsæi, Valesii, Novatiani, Hydroparastatæ, Patropassiani, Angelici, Apostolici seu Apotactici, Chiliastæ seu Millenarii, Samosateni, Manichæi, Apocaritæ, Hieracitæ, Abstinentes, Cubrici. Quot & quanta nomina! aut ubi eorum fides? non diu duravit, non citò post Apostolos nata.

Sæculo quarto ad Annum Domini

400. hi hæretici vixêre: Donatistæ, Meletiani, Arriani, Collutiani, Circumcelliones, Antropomorphitæ, Marcelliani, Photiniani, Macedoniani, Assuriani, Acatiani, Eustatiani, Aëriani, Eunomiani, Troglodytæ, Messaliani, Luciferiani, Hypsistarii, Antihomousistæ, Eupsychiani, Agnoïtæ, Apollinaristæ, Colliridiani, Seleuciani, Priscillianistæ, Proclianitæ, Helvidiani, Jovinianistæ, Sabbatiani, Campenses, Discalceati, qui nudis pedibus incedendum dicebant, non ut carnem affligerent, sed quòd sibi applicarent dictum Moysi, *Solve calceamentum de pedibus tuis.* Exod. 3. 5. At horum fides evanuit, & nomina computruêre!

Sæculo quinto ad Annum Dni. 500. fuerunt hæretici hi: Pelagiani, Abeloitæ, Nestoriani, Acephali, seu hæsitantes, Eutychiani, Pacificatores seu Tepidi, Prædestinati, Angelitæ, Vigilan-

lantius, Secundinus, Fortunatus, Felix Manichæus, Maximinus, Cœlestius, Faustus, Petilianus, Avitus, Vitalis, Theodorus Mopsuestenus, Diodorus Tharsensis, Pseudomoyses Cretensis, Dioscorus, Timotheus Ælurus, Fullo Graphæus, Philoxenus, Deuterius. At hi ubi sunt? ubi eorum nomina & fides? quàm tardè emerserunt?

Sæculo sexto ad Annum Domini 600. hi hæretici: Eutychianorum Sectæ, Severiani, Theopaschistæ, Gäinitæ, Tritheitæ, Thenistiani, Monothelitæ, Jacobitæ, Barsaniani, Tetraditæ, Chrystoliti, Cononitæ, Contobabditæ, Aphtartodocitæ. Sed hi quemadmodum fumus cum sua fide evanuêre.

Sæculo septimo ad Annum Domini 700. floruerunt hæretici: Gnosimachi, Armenii, Lampetiani, falsi interpretes, Paganizantes seu Ethnophrones, etsi hos etiam sub Sæculo

tertio referat Genebrardus: Aginenses, Maronitæ, Charurgitæ, Theoratagnostæ, Agonichitæ, Theodosiani, Agareni, Chazinzarii, Thnetopsychitæ, Mahometes, Pyrrhus Constantinopolitanus, Sergius, Cyrus Alexandrius. Sed hi fuêre, non sunt, periit cum sonitu memoria fidesq; illorum.

Sæculo octavo ad Annum Domini 800. hæretici hi viguêre: Iconomachi, Afingani seu Pauliciani, Feliciani, Agonyclitæ, Albanenses, Bagnolenses, Christianocategori, Aldebertus, Clemens Scotus, Felix Urgellitanus. Et hi cum fide interiêre.

Sæculo nono ad Annum Domini 900. hi erupêre hæretici: Claudius Taurinensis, Godescalcus, Theoda in Asia, Bertramus, Fredevardus eques, Photius Græcorum Schismaticorum antesignanus, Græcorum hæresis de Processione Spiritus Sancti. At horum

horum fides ſerò nimium poſt Apoſtolos exorta, validè à Patribus oppugnata, à Conciliis expugnata.

Sæculo decimo ad Annum Domini 1000. teſte Genebrardo novi Antropomorphitæ exorti in Italia: quædam item Manichæorum Secta Philopolim translata. Schiſma Græcorum contra Latinos. Sed primorum & ſecundorum nec veſtigia ſuperſunt: Græci pœnas Schiſmatis dederunt, captâ à Turcis Conſtantinopoli diebus Pentecoſtes.

Sæculo undecimo ad Annum Domini 1100. hi hæretici: Berengariani, Reordinantes, Vecilini, Bongomili, Henriciani, Inceſtuoſi, Recentes Nicolaïtæ, Michaël Cærularius, Heribertus, & Liſaïus, Guibertus. *Sed poſtremorum* nec nomen exſtat, nedum fides. *Berengarius* verò (teſte Genebrardo, Spencæo, &c.) animam agens reſipuit, fidem Catholicam de Sacramento Altaris proteſtatus.

Sæculo duodecimo ad Annum Domini 1200. hi hæretici: Petrobrussiani, Clancularii, Arnoldistæ, Henriciani, Patareni seu Publicani, Pseudoapostolici, Adamitæ auctore Tandemo, Valdenses seu Pauperes de Lugduno, Hæretici de Barulo, Insabatati, Albigenses, Correrii, Petrojoannitæ, Eudon de Stella, Gilbertus Porretanus, Petrus Abailardus, Marsilius, Paduanus, Durandus de Valdach. Sed nec nomina horum audiuntur, nec fides.

Sæculo decimotertio ad Annum Domini 1300. hi hæretici fuêre: Flagellantes, Bajolenses, Concordenses, Raymundus Lullus, Almaricus, David Dinantius, Guilelmus de S. amore, Desiderius, Longobardus, Gerardus Sagarellus, Hermannus Italus. Periêre & hi cum fide sua.

Sæculo decimoquarto ad Annum Domini 1400. hi hæretici: Beguardi seu Begui-

Beguini, Dulcinistæ, Templarii, Turelapini, Fratricelli, Joannes VVicleff, Bertholdus de Borbach, Lolhardus Valterus, Jacobus Justi & Bononatus, Michaël de Cesena, Petrus de Cugneriis, Richardus Armacanus, Bartholomæus Janovezius, Guilelmus Albus, Marsilius Patavinus. Quàm non citò illorum fides post Apostolos orta! certè nondum fuit, cùm Christus Petro diceret, *Non deficiet fides tua.*

Sæculo decimoquinto ad Annum Domini 1500. hi fuêre hæretici: Hussitæ auctore Joanne Huss, qui Anno 1401. se prodidit. Hieronymus de Praga, Petrus Dres sensis seu Jacobellus, Pragenses & Orphani, Joannes Roatius, Joannes de Rocsesana, Orebitæ duce Bedrico, Nicolaus Galecus, Matthæus Palmerius, Joannes Behaim, Petrus de Osma, Hermannus Rissuich. At ubi latuit tamdiu horum fides?

Sæculo decimosexto Ad Annum Domini 1600. hi hæretici prodiêre: Lutherani, Antilutherani, Semilutherani, Zuingliani, Calvinistæ, Carolstadiani, Servetiani, Anabaptistæ, Osiandrini, Semiosiandrini, Trinitarii seu Deistæ, Antitrinitarii, Autotheani, Illyricani, Jenenses, Campanistæ, Sfencfeldiani, Antisfencfeldiani, Ubiquistæ seu Brentiani, Ansdorfiani, Biblistæ, Justificatorii, Pastillarii, Interimistæ, Adiaphoristæ, Majoristæ, Clancularii, seu Hortenses, Bacularii seu Stefleri, qui alia arma præter baculū ferre nefas ducebant Tropistæ, Dœmoniaci, Antidæmoniaci, Infernales, Effrontes, Adestenarii, Stancariani, Antistancariani seu Musculani, Antinomi, Athei, Scripturarii, Pastoricidæ, Laicocephali in Anglia, Uncti in Surria comitatu Angliæ, Illuminati, Novi Samosateni, &c. Hæ hæreses quàm non citò post Apostolorum

rum tempora ex Orco emersêre! nondum erant, cùm Christus promisit Petro, *non deficiet fides tua*. Sed ut non citò sunt exortæ, sic plurimæ jam extinctæ.

Nam Lutherani vix nati arescere cœperunt. Cœpit Lutheri Secta Anno Domini 1517. Sed vix septem Annis pacificè duravit: Nam Anno Domini 1525. Zuinglius, & posthunc intra biennium Anabaptistæ majorem partem Lutheranorum ad se pertraxerunt à Luthero: Qui verò adhæserunt Luthero, vix ulli puri reperiebantur Lutherani, de quo graviter conqueritur Illyricus in Præfationibus omnium Centuriarum.

Nec Zuinglii Secta diu pacificè stetit. Nam Calvinus Anno Domini 1538. surrexit, qui ita invaluerat, ut vix pauca Helvetiorum Oppida Zuinglianis reliquerit.

Calvinistæ etiam per Libertinos

in Gallia, per Puritanos in Anglia, per Samosatenos in Transilvania, & per Trinitarios ad paucitatem redigi cœperunt. Nec ipse Calvinus suæ Sectæ diuturnitatem pollicitus, ut suprà ex illo retuli.

Infero ex dictis hoc Paragrapho:

Cum ex una parte prædictæ hæreses non citò post Apostolos emerserint ac plurimæ jam ex illis defecerint, sensimq; aliæ paucæ residuæ deficiant; manifestum est; non illis nec illorum fidei promissum à Christo, *Non deficiet fides tua*:

Cum item ex altera parte, & suprà non nihil, & infra ostendendum sit ex collatione fidei, Catholicæ nunc vigentis cum ea quæ viguit proximo Apostolis tempore, quòd fides Catholica eadem nunc duret, quæ primis illis sæculis floruit, nec ejus defectionis tempus locusvè, vel punctum auctorvè dici possit; alia verò fides non superfit, de qua possit meritò dici, ei esse promissum, *Non deficiet fides tua*; manifestè infertur, fidem Catholicam illam esse,

de

de qua illud promissum Christi intelligatur: *Ergo* falsò sibi suisq; contrarium hæresiarchæ persuasêre.

Addo, hæreticis hîc exprobandum esse.

VEl cum Tertulliano lib. de Præscript. *Qui estis vos? unde & quando venistis? ubi tam diu latuistis?*

Vel cum Augustino lib. 3. contr. Donatist. de Baptism. c. 2. *Si periit Ecclesia, unde ergo Donatus* (dicam ego, Lutherus, Calvinus, &c.) *apparuit? de qua terra germinavit? ex quo mari emersit? de quo cælo cæcidit?*

Vel cum Hieronymo Epist ad Pammachium: *Quisquis assertor es novorum dogmatum, quæso te, ut parcas Romanis auribus; parcas fidei, quæ Apostolico ore laudata* (Rom. 1.) *est. Cur post quadringentos annos & amplius, docere nos niteris, quod ante nescivimus? Usq; in hanc diem sine vestra ista doctrina mundus Christianus fuit.*

Hæc ille.

§ IV. *Quar-*

§. IV.

Quartum Argumentum.

Quo falsitatis convincuntur hæretici, Ecclesiam defecisse ac errasse blaterantes.

Argumentum hoc instituam per dilemmata, per sequelas absurdas, per interrogationes, per Contradictiones.

I. DILEMMATA.

Contra hanc hæreticorum columniam.

PRIMUM:

VEl *creditis ceu infallibile*, quòd Ecclesia Catholicâ defecerit, *vel tantùm id opinativè dicitis, vel ex malevolentia ac pertinacia. Si ultimum;* vos ipsos condemnatis. *Si tantùm id opinativè* asseritis. *Ergo* id incertum & fallibile est, & posset fieri, ut defacto falsum sit quod opinamini (nam opinioni potest subesse falsum) aut saltem probabile esset per oppositas rationes etiam oppositum (ut &

& in aliis opinionibus) consequenter tutò sententiam probabilem vobis oppositam prudenterq; sequeremur, & immeritò à vobis impugnaremur. *Si verò id ceu infallibile* creditis & fide Divinâ, ubi id revelatum in Scriptura? Maximè cùm in §. *primo* hic ex Scriptura ostenderimus Christi Ecclesiæ indefectibilitatem.

SECUNDUM: *Vel in omnibus* Ecclesia Catholica erravit ac defecit, *vel tantùm in aliquibus*: *Non in omnibus*, quia id nec ipsi adversarii dicunt; saltem enim non errat in Symbolo Apostolorum, quod nobiscum recipiunt hæretici. *Non etiam in aliquibus*; Quia si quæ essent, essent illa, in quibus dissentit ab hæreticis. Sed in his non errat, quia supra *Decept. Quartâ* ostensum est, in illis potiùs errare hæreticos & clarissimè Scripturæ Sacræ opponi, imò & toti antiqui-

tiquitati, ut obiter ſupra dictum, & infra fuſius ex Patribus confirmabitur. *Ergo in nullo.*

TERTIUM: *Vel Solus* Lutherus, Zuinglius, Calvinus, tam erant oculati & intellectu perſpicaci, ut adverterent defectionem ac errorem Eccleſiæ; *vel non ſolus. Si non ſolus*; Cur ergo nullus alius proximis ei temporibus vel antiquioribus ſe oppoſuit Eccleſiæ Catholicæ ex illis, in quibus & ſcientia major, & amor veritatis, item amor ſalutis, ac animarum zelus, veræq; ſanctitatis indicia eluxêre? Cur nihil contra illam ſed pro illa potiùs Auguſtinus tanti vir ingenii? Cur nihil Hilarius, aut Hieronymus, de quo illud apud Auguſtinum eſt Elogium: *Nullus hominum ſcivit, quod Hieronymus ignoravit?* Cur nihil conſequenti ætate doctisſimi juxta ac ſanctisſimi, Beda, Damaſcenus, Germanus Con-

stantinopolitanus, Alcuinus, qui octavo sæculo vixêre? Cur sequentibus item sæculis celebria illa capita, Magister sententiarum, Anselmus, Euthymius, Petrus Damiani? Cur postea Bernardus, Rupertus, Thomas de Aquino, Bonaventura, Scotus, Alensis, ejus erroribus se non opposuêre? *Quod si solus* tam oculatus fuit Lutherus aut Calvinus; &c. mirum est profectò, prædictos sanctos totius orbis judicio doctissimos in tenebris fuisse, & in Ecclesia falsa sibi suæq; saluti non consuluisse & aliorum: mirum, hanc Ecclesiam teste ipso Luthero & Calvino protulisse sanctos, ut supra memini; cùm sanctitati veræ, fides vera pro fundamento sit præsupponenda.

QUARTUM: *Vel tunc* defecit Ecclesia Catholica, cùm Lutherus, Calvinus aliiq; in ea adhuc fuêre, *vel postquàm* illam deseruêre, *vel antè.*

Si

Si tunc, poſtquam ex illa abiêre ; Ergo veram Eccleſiam deſeruere & fidem veram, & ſic manifeſtè ſunt apoſtatæ. *Si ante illos*; tunc id inprimis eſt contra Lutherum, qui etiam poſtquàm ab Eccleſia Catholica defecit, in Papatu veram eſſe Chriſtianitatem (ut dictum ſupra) & veros fidei articulos eſſe dixit. Eſt etiam idem contra Calvinum, quia hic eo ipſo quòd ut verum Chriſti Apoſtolum ſuprà prædicet Lutherum, ejus doctrinam proximè dictam approbat : Eſt item contra utrumq; aliosq; omnes hæreticos ; quia deberet dici (ut ſupra monui) tempus, locus, auctor, punctum defectionis; quod nequeunt oſtendere. *Si tunc* cùm adhuc in Eccleſia Catholica perſiſterent ; tunc præterquam quòd proximè dicta contra ſecundum hujus dilemmatis, punctum poſſint contra Lutherum & Calvinum repeti ; inſuper

ſuper contra Calvinum additur, qui cùm dicat fuiſſe ſemper Eccleſiam, ſed inviſibilem latuiſſe; unde nos etiam convincet, quòd etiam inter Catholicos Eccleſia hæc inviſibilis non latuerit etiam tunc, dum in ea maneret? Imò & poſt?

QUINTUM Simile priori, ſed aliter inſtauratum: *Vel pridem* Eccleſià Catholica defecit; *vel non pridem. Si pridem*; Ergo incuſari poſſet Providentia Dei; quòd tamdiu, ſcilicet ad Lutheri aut Calvini tempora tot hominibus non providerit de medio ſalutis tam neceſſario, nempe fide, ſine qua qui eſt, ſeu *Qui non crediderit, condemnabitur.* Marc. ult. Cùm tamen 1. Timoth. 2. 4. dicat Paulus, quòd Deus *velit omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Si verò non pridem* defecit: dic *primò*; quando? ubi? in quo? *Secundò*: Poteſtne dici Eccleſia defeciſſe un-

quam, quæ ſemper eadem fidei dogmata & myſteria docet docuitqué? à quo autem ex antiquis dogmatibus noſtra fides defecit? Confer ea quæ ultimo loco ex Patribus afferam teſtimonia.

II. Adduntur duo DILEMMATA.

Primum:

DEmus defeciſſe ac errâſſe Eccleſiam: hâc deficiente ac errante, *vel aliqui ante* Lutherum & Calvinum *ſalvabantur*, *vel non*. *Si ſalvabantur*, cùm non crederent adhuc ſic, prout Lutherus & Calvinus docuit, quia Calvinus & Lutherus adeòq; eorum fides nondum fuerat. *Sequitur primò*. Ergo illi aliqui *ante Lutherum* & Calvinuin viventes potuerant ſine fide Lutheri & Calvini ſalvari. Ergo & modò poſt Lutherum & Calvinum poſſent ſine eorundem fide ſalvari (ſemper enim

una

una eademque fides requiritur ad salutem.) Imo cum hac non possent: Quia si quis potest salvari non in fide Lutheri & Calvini (ut est concessum de viventibus ante illos) non potest salvari in fide Lutheri & Calvini; tum quia posset quis salvari in duplici fide contradictoria; tum quia aliàs posset quis salvari etiam in quacunque fide atque sic etiam posset salvari in fide credente fidem Lutheri & Calvini esse falsâm damnabilem & damnantem; quod est contra adversarios. *Sequitur secundò*, Si salvabantur aliqui *ante hos hæresiarchas*, fidem salvantem ac veram *defecisse & non defecisse*: Non quia alias fides falsa salvâsset; *defecisse* juxta adversarios. Non potest etiam dici, quod ante Lutheri & Calvini fidem nemo salvabatur; quia id sine fundamento & Scripturæ contrarium, quæ sine restrictione temporis cer-

ti universaliter dicit: *Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac & Jacob in Regno Patris mei.* Matth 8. 11. Ergo si salvabantur aliqui, cùm sine fide vera non potuerint salvari, non defecit tunc fides vera.

Secundum:

Si erravit Ecclesia vera Christi, sequitur quod *errat* & Lutherana & Calviniana aliorumq; Ecclesia. Quia eorum Ecclesia *vel est vera, vel falsa*: *Si falsa*, tantò magis errat: *Si vera*, vel est *eadem* cum illa vera Christi Ecclesia, & sic, ut illa secundùm te errat, ita & hæc; *vel alia*; & sic etiam multò magis errat; quia nequit alia esse à vera Ecclesia, quin erret. Quod si dicas, *aliam esse à deficiente*; INFERAM. Ergo *est eadem cum Ecclesia vera*, quæ fuit proximè á temporibus Apostolorum, seu qualis fuit temporibꝰ Apostoiorum. Sed adhuc stat argumen-

mentum. Quia hæc ipſa ſecundum te defecit & erravit, unde ergo colliges hæreticorum Eccleſiam ſimiliter non errare. Aut *ſi non*; quare ergo non coincidit fides illorum cum ea quæ viguit proximis Apoſtolorum temporibus, ut patebit ex Patrum teſtimoniis *Ultimo* §. afferendis?

III. Contradictoria in hac Calumnia.

I.

ECcleſia ut dicatur actu errare, *debet actu durare.* (Quia actualis realis error debet convenire actuali reali ſubjecto.) Ergo ſiquidem Eccleſia quæ duravit tempore Apoſtolorum & poſt tempora Apoſtolorum, ſecundùm hæreticos errat, *durat hæc Eccleſia.* (INFERO) Ergo *non errat*: Quod contradictorium ſic probo: *Veſtra* Eccleſia *non fuit* temporibus & à temporibus Apoſtolorum; Nam *iſta quæ fuit* à tempori-

bus Apoſtolorum *errat*; veſtra autem ſecundùm vos non errat. Ergo *veſtra non fuit à temporibus Apoſtolorum.* (JAM SIC ARGUO:) *veſtra* quæ non fuit à temporibus Apoſtolorum, *non errat ſecundùm vos.* Ergo *hoc ipſo errat*: quia hoc ipſo eſt novitia & ficta, quia non fuit temporibus Apoſtolorum. Adeoque veræ fidei adverſatur, & errat. (INFERO NUNC:) Ergo *noſtra non errat.* Quia ex oppoſitis oppoſita inferri debent. Si ergo ex eo, quia veſtra non fuit à temporibus Apoſtolorum, errat; Ergo noſtra quia fuit à temporibus Apoſtolorum, non errat. Ergo fuit vera illatio: *Hæc Eccleſia*, quam dicitis errare, *durat* ab Apoſtolorum temporibus, *Ergo non errat*; ſeu errat ſecundum vos, in re ipſa non errat, quia hoc ipſo quòd fuit Apoſtolorum temporibus & ab Apoſtolorum temporibus duret, non convin-

vincitur ceu contraria Apoſtolorum temporibus;tunc enim fuit vera,Ergo & nunc.

2. Lutherus ait defeciſſe Eccleſiam veram & fidem; dicit tamen in Papatu eſſe veros articulos fidei & nucleum Chriſtianitatis, ut ſupra ex illo retuli: An hæc cohærent ſecum? Quomodo enim deficit ac errat, in qua ſunt veri articuli fidei?

IV. *Abſurdæ ſequelæ ex hac hæreticorum Calumnia.*

Prima.

SI Eccleſia vera defecit, ſequitur nullam dari Eccleſiam,nullam fidem. Quia ſublatâ verâ fide, (qualis fuit ſecundùm adverſarios Catholica antequàm deficeret) nulla alia eſt vera; & ſic nec Lutherana nec Calviniana, quia neutra eſt Catholica illa. Aut ſi illa eſt, Ergo etiam errat utpote eadem cum illa jam

ſecundum te errante. Item Si illa eſt, cur non coincidit ejus fides cum ea quæ viguit primis incorruptæ fidei temporibus, quod colligetur ex *ultimo* §. *hujus quæſtionis* ubi antiquisſimorum Patrum teſtimonia oſtendent fidem veterem ab hæreticorum novitia eſſe diſtinctisſimam.

Secunda. Sequeretur ex hac Eccleſiæ defectione non verè prædictum ab Oſeâ de Eccleſia c. 2. 19. *Sponſabo te mihi in ſempiternum*; cum tamen teſte Paulo *ad Epheſ.* 5. 32. Indiſſolubili vinculo ſibi Chriſtus Eccleſiam deſponsârit, quam etiam indiſſolubilitatem ſignificat Matrimonii inter Chriſtianos indiſſolubilitas.

Si Eccleſia errat, ſequeretur cum Eccleſia, juxta Chriſti promisſionem, Joan. 14. 17. *manere in æternum, Spiritum Veritatis* & non manere; quia non eſt Spiritus Veritatis, ubi error.

Item ſequeretur, quòd idem Spiritus

ritus Veritatis Ecclesiæ promissus Ecclesiam doceret *Omnem Veritatem*, (quia id Christus promisit Joan. 16.) & non doceret omnem, quia non est Omnis Veritas, ubi aliquis error.

Item sequeretur Christum veracem non esse in promissis, tum suprà prædictis, tum etiam cum dixit: *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*, Matth. 16. 18. *Non deficiet fides tua*, Luc. 22. 22. Item gratis & sine fructu idem promisisset suæ Ecclesiæ; *Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Matth. ult. v. 20. Imò quomodò cum illa esset Ecclesia, quæ à Christo defecisset & *fide*, *sine* qua *impossibile est placere Deo*. Hebr. 11. 6.

Quarta. Si Ecclesia errat, sequitur immeritò terrere Christum Matth. 18. 17. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus & Publicanus.* Quis-

que enim posset contra illam excipere ut errantem.

V. *Quæsita contra ejusmodi Calumniatores.*

Primum.

SEctarii se putant non errare, dum dicunt se credere quod est in Scriptura, etsi non omne recipiant quod est in Scriptura ut illud 2. ad Thessal. 2. 15. *Tenete Traditiones quas didicistis sive per sermonem, sive per Epistolam nostram*: Quomodo ergo errare dicunt Ecclesiam Catholicam, dum hæc credit omnia quæ in Scriptura credenda proponuntur, etiam recipiendo Traditiones prædicto loco à Paulo commendatas? Quis magis errat, an qui totam Scripturam recipit etiam cum Traditionibus in Scriptura commendatis, an qui scripturam sine traditionibus ibidem commendatis?

Secun-

Secundum. Cui potiùs credendum suadeat ratio, an uni Luthero vel Calvino dicenti Ecclesiam defecisse ac errâsse; an Orbi & doctissimis per orbem universitatibus Doctoribus, Scriptoribus vitæ ac fidei inculpatæ, qui eam deprædicant & amplectuntur ut illibatam, ut Apostolicam, ut incorruptam, quorum etiam plurimi pro ea fortunas, vitam & sangvinem per tot jam sæcula profundunt?

Tertiò. Quomodo Ecclesia defecisse dicatur, quæ cum iisdem semper fidei articulis (ut infra patebit) per orbem latiùs semper hucusque à temporibus Apostolorum propagata in Oriente & Occidente, in florentissimis Europæ Regnis, in Africa, Asia, novissimè in Indiis, Japonia, Brasilia, Æthiopia, vastissimo Sinarum imperio, ubi nulla inter Ethnicos alia propagata fides nisi Catholica, adhæc eadem à multis sæculis diu

floruit viguitq; in iis ipsis locis, in quæ non pridem post Lutherum & Calvinum irrepsit hæresis; nam & Angliæ regnum Catholicum fuit ab Anno Domini 604. (quo est ab idōlolatria ad Christi fidem sub Gregorio Magno conversa) ad Henricum VIII; & Sueticum per tot sæcula, habuitq; tot Reges Catholicos & Sanctos Ericum, Olavum, &c. ac Germania tota, ut supra retuli ex auctoribus.

Hactenus Argumentum quartum variē intortum in hostes.

---

§. V.

Quintum Argumentum.

Quo probatur, falsò ab hæreticis tribui Ecclesiæ defectionem ac errorem.

QUia Ecclesia Catholica semper retinuit ac retinet Notas, proprietates ac indicia veræ Ecclesiæ; quibus

quibus è contra carent Ecclesiæ Sectariorum. *Ergo* Ecclesia Catholica semper fuit vera Ecclesia, adeoq; non defecit nec erravit.

Vis Consequentiæ patet: Quia debet ex aliquibus Notis ac indiciis internosci Ecclesia vera à non vera: alioquin quomodo sciri posset, cui se Ecclesiæ quis aggregare deberet?

Antecedens probatur per enumerationem Notarum ac Indiciorum veræ Ecclesiæ in Catholica relucentium. Eadem indicia appellantur aliter à Theologis *Motiva credibilitatis*, quæ simul sumpta, procul dubio faciunt evidentiam hîc moralem juxta illud Psalm. 92. 5. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.*

I.

Prima Nota ac Indicium veræ Ecclesiæ.

EST quòd sit UNA: quæ unitas fundatur tum in Unitate fidei seu

ſeu in unione & conſenſu eorum, qui ſunt in Eccleſia, quoad myſteria fidei quæ eſt *Una* juxta Paulum *ad Eph.* 4. 5. Tum in unione eorundem cum Capite. Unde qui ab illa prima Unitate fidei recedunt, dicuntur *hæretici*: Qui ab hac ſecunda, *Schiſmatici*, maximè, cùm & Chriſtus unitati ovilis adjungat unitatem Paſtoris Joan. 10. 16. *Erit unum ovile & unus Paſtor.*

Hanc Notam veræ Eccleſiæ eſſe in Eccleſia Catholica.

Patet primò: Quia in illa eſt *unitas fidei*: Omnes enim Catholici eandem fidem profitentur non tantùm inter ſe, ſed etiam unam & eandem cum primæva Eccleſia, ut oſtendi *Decept.* IX. ex confesſione adverſariorum & infra clariùs teſtimonio Patrum comprobabo. Qui quidem conſenſus & antiquitatis & orbis totius ac omnium per orbem Chriſtianorum

Docto-

Doctorum, certè maximi est momenti nec postremum *Motivum credibilitatis* pro certitudine ac veritate Catholica.

Patet Secundò. Quia inter Catholicos est unio membrorum Ecclesiæ cum Capite semperq; fuit, adeò ut nunquam ulla particularis Ecclesia pro Orthodoxa fuerit habita, nisi cum Romana Ecclesia & Romano Pontifice communicaret (ut colligitur ex *Historiis Ecclesiasticis Genebrardi, Sanderi, Baronii, &c.*) Unde etiam ab hæreticis Ecclesia Papistica appellatur, quòd nempe per orbem totum dilatata Papæ Romano adhæreat.

Ergo Ecclesia Catholica habet hanc primam Notam veræ Ecclesiæ, nempe *Unitatem, consensum doctrinæ, & Unionem*: Quæ quidem est certa nota Regni Dei quod Ecclesia est, & quod juxta Danielem 2. 44.

&

& Gabrielem Luc. 1. 32. Stare debet *in æternum*; Sicut regni Diabolici ruituri signum est diversitas & scissio juxta illud Matth. 12. 25. *Omne regnum contra se divisum desolabitur.*

Confirmatur hoc Argumentum & Motivum primum Credibilitatis per inductionem: Quia in Ecclesia Catholica Scriptores & antiqui & recentiores mirificè in rebus fidei conveniunt, etsi locis temporibus ac lingvis diversis scripserint, quod ceu quid Divinum observat *S. Augustinus lib.* 18. *de Civit. c.* 41. Testes sunt illi Patres loco & tempore dissiti at in religione concordes, Ignatius & Chrysostomus Antiochiæ, Petrus Alexandrinus, Athanasius ac Theophilus, Alexandriæ: Macarius Hierosolymis, Proclus Constantinopoli: Gregorius & Basilius in Cappadocia, Gregorius Thaumaturgus in Ponto: Smyrnæ Polycarpus, Justinus Athenis:

thenis: Dionyſius Corynthi, Gregorius Niſſæ: Methodius Tyri, Ephrem in Syria: Auguſtinus, Cyprianus, Optatus in Africa: Ambroſius, Paulinus, Proſper in Italia: Epiphanius in Cypro: Irenæus, Martinus, Hilarius, Eucherius, Salvianus in Gallia: Ildephonſus, Iſidorus, Vincentius in Hiſpania: Damianus, Fugatius, Beda, Juſtus, Mellitus in Anglia.

Similiter Reges loco & tempore disſiti, fide Catholicâ omnino concordes, Edvardus in Anglia, Ludovicus in Gallia, Hermenegildus in Hiſpania, Henricus in Saxonia, Venceslaus in Boëmia, Leopoldus in Auſtria, Stephanus in Hungaria, Caſimirus in Polonia, Ericus & Olavus in Suecia, Harioldus & Fronto Reges in Dania, Donaldus in Scotia, Joſaphatus in India.

Similiter Concilia Generalia, & ſapientisſimæ in Europa univerſitates

tes loco & tempore dissitæ, quàm mirificè in rebus fidei unanimes.

Econtra hæretici.

HOc veræ Ecclesiæ signo carent: Nam inter eos par doctrinæ fideiqué consensio nunquam fuit. Quia (ut ait Augustinus lib. de Pastorib. c. 8.) *Ecclesia est ubique una & eadem, hæreses non eædem sed diversæ.*

Certè (Staphylo teste *lib. de concordia discipulorum Lutheri*) Lutherani vix nati cœperunt dividi in *Anabaptistas*, *Confessionistas*, & rursum singulæ Sectæ in alias & alias usque ad sectas 36; mox autem numeratæ sunt ferè centum Sectæ diversæ à Luthero prodeuntes, nempe *Carolstadiani*, qui Berengarii errorem tenuerunt, *Brentiani* qui Ubiquitatem Humanitati Christi tribuebant, *Osiandrini* docentes hominem justificari justitiâ essentiali Deo, *Stancariani* dicen-

dicentes Christum justificare secundùm solam Naturam Humanam: *Asdorfiani* bona opera perniciosa esse docentes: *Majoristæ* censentes non salvari infantes per solum baptismum: *Antinomii* dicentes hominem ad legis Dei obedientiam non teneri: *Trinitarii* Deos tres asserentes: *Dæmoniaci* docentes, quòd dæmones post finem mundi sint salvandi: *Stebleri, Memnonitæ, Biblistæ, Antitrinitarii, Autotheani*, de quibus vide *Genebrard. Anno Domini* 1555. En una Ecclesia, una fides!

Imò ipsius Lutheri contradictiones innumeras collegit Cochlæus *in Septicipite*, ubi ad finem adjecit 36. varias Lutheri Sententias de sola Communione sub utraque specie.

Calvinistæ similiter scissi, nec omnes puram doctrinam Calvini sequuntur. Hinc ab ea puritate doctrinæ Calvinisticæ Secta *Puritanorum* in Scotia & Anglia, &c. Hinc

Hinc universaliter contra Sectarios sic inter se disidentes meritò illud dicetur, quod Lutherus lib. de Votis Monasticis, ubi sic ait: *Mendacia certiùs dignoscere non potes, nisi quando sibimetipsis contraria sunt: à Deo enim ita ordinatum est, ut impii semper seipsos confundant, & quòd mendacia non consonent.*

II.

Secunda Nota & Indicium Veræ Ecclesiæ.

EST SANCTITAS. Nam in Symbolo Apostolorum dicitur: *Credo Sanctam Ecclesiam.* Et certè fidem, legem ac doctrinam à Deo inspiratam ac institutam decet esse Sanctam, & nihil injustum continere quoad doctrinam etiam morum id enim decet Sanctitatem Dei dicentis: *Sancti estote quia ego sanctus sum.* Lev. 11. 44. Et ad Ephes. 1. 4. *Ele-*

git

git nos ut essemus Sancti & immaculati conspectu ejus in charitate.

Hæc Sanctitas consistit in *fide quæ per charitatem operatur* juxta Paulum, Gal. 5. 6. Seu bonis operibus conjuncta per illud breviter à Psalte indicatis, *Declina à malo, & fac bonum.* Psal. 36. 27.

At fides Catholica quid non Sanctum? Quid non Deo dignum & non justum præcipit? Quantum à vitiis deterret, ad bona opera perurget?

Præterea Ecclesiæ Catholicæ Sanctitatem testantur tot Sanctorum millia, qui in eadem floruerunt & sanctissimè obierunt.

Sanctitatis studium testantur tot millia Religiosorum utriusque sexûs continentiam & castitatem perpetuam Deo voventium, humana omnia Dei amore spernentium, *Carnem suam cum vitiis & concupiscentiis* juxta monitum Pauli *crucifigentium* Gal. 5. 24.

Legan-

Legantur vitæ Sanctorum, quibus si quis saltem eam fidem adhibeat, quam adhibet dum legit Livium, vel Curtium aliosq; ethnicorum Historicos; erit quod in fide & in Ecclesia Catholica suspiciat ac veneretur.

E contra hæretici.

Carent hâc Ecclesiæ veræ notâ: Quod, etsi indubium sit, tamen

Probatur primò:

Quia nec unicum ostendent, qui in eorum fide obiens, ab orbe universo imò & parte orbis habeatur pro Sancto vel pro Salvato, vel Martyre.

Probatur secundò: Quia eorum fides hoc ipso sancta dici nequit, quia bona & sancta opera excludit ac detestatur: Legis Divinæ observationem dissuadet ceu imposibilem & damnabilem: Vota Monastica, item continentiam tantoperè in Scriptura lauda-

laudatam ac perfectioris vitæ studium condemnat: Deniq; liberum arbitrium homini adimit, quod est ut radix meriti ac demeriti, ita & Sanctitatis.

Probatur tertiò: Quia ipsorum hæreticorum confessione manifestum est, quàm eorum vita abominanda & omnis Sanctitatis expers, ut supra ex illis attuli.

Certè apud Norimbergenses tanta invaluerat vivendi licentia sublato Sacramentalis Confessionis usu, ut ipsimet ad compescendam effrenem suorum licentiam Confessionis usum revocârint, ut hoc veluti freno teneretur licentia, ut testatur *Dominicus de Soto in 3. Sentent. Dist. 18. qu. 1.*

III.

Tertia Nota & Indicium veræ Ecclesiæ.

EST ipsum CATHOLICÆ ECCLESIÆ NOMEN. Quod

Patet primò ex Symbolo Apostolorum ab omnibus recepto: *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam.*

Patet secundò ex S. Augustino, qui c. 4. contra Epist. fundamen. ait: *Tenet me in Ecclesia ipsum Catholicæ Nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia obtinuit.*

Patet tertiò ex Cyrillo Hierosolymitano qui Catech. 18. ait: *Cùm in urbem aliquam veneris, non petas ubi sit Ecclesia, sed ubi sit Ecclesia Catholica: Id enim est proprium hujus Sanctæ Ecclesiæ Matris omnium nostrûm.*

Patet quartò ex Paciano Episcopo qui vixit Anno Domini 550. hic Epist. 1. ad Symphorianum ait: *Christiani mihi Nomen est, Catholici cognomen: Illud me nuncupat, istud ostendit: hoc prodor, inde significor.*

Colligitur idem ex Paulo, qui de Ecclesia & fide vera illud dixit ad Romanos cap. 1. 8. *Fides vestra annuntiantur*

tiatur in universo mundo. Et Christus Marc. 16. 15. ait: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni Creaturæ.* Et Psal. 18. 5. *In omnem terram exivit Sonus eorum,&c.*

Ex quibus locis Scripturæ colligitur Ecclesiam Christi esse Catholicam seu Universalem extendentem se ad omnem locum & tempus ac ad omnes homines.

Porro Ecclesiam Romanam esse CATHOLICAM, & hoc nomine semper gavisam esse & gaudere satis liquet: Quia est universalis & complexa est omnia tempora & loca & gentes. Quod ipsum.

Constat primò ex Paulo proximè citato, qui Romanis ait, *fides vestra* (id est Romana) *annuntiatur in universo mundo.*

Constat præterea ex Augustino, qui lib. de Pastorib. c. 8. testatur suis tem-

poribus ubique fuisse disseminatam Ecclesiam Catholicam ac fidem.

Constat insuper ex Gregorio post Augustini tempora, qui (ut suprà) testatur eandem Ecclesiam Catholicam fuisse in toto orbe terrarum? Hinc communicabat per Epistolas cum Episcopis Orientis, Occidentis, Africæ, Hispaniæ, Angliæ, Siciliæ.

Constat adhuc ex Beda, qui post Gregorium vixit. Hic enim in c. 6. Cantic. scribens idem testatur de Ecclesia Catholica suis temporib. florente.

Constat & ex Bernardo, qui posteriùs vixit, nempe 1153. obiit Sexagenarius: Hic enim asserit toto orbe floruisse *suâ* ætate Catholicam fidem, ut suprà locum citavi.

Nostris etiam temporibus præter Ægyptum, Syriam, Æthiopiam, Græciam, ubi multi inveniuntur Catholici & templa eorundem; etiam in In-

Indiis Orientalibus, in America Occidentali, in Japonia ad Septentrionem, in Brasilia & Africa ad meridiem latissimè disseminata est Ecclesia Catholica, ubi viget sine admistione ullius hæresis. En quàm verè Catholica, vere universalis hæc Ecclesia ubivis locorum & temporum.

E contra hæretici.

CArent hoc Signo Ecclesiæ in Symbolo Apostolorum indicato, Sectæ illorum sunt tantùm angulares, non Catholicæ ac universales quoad locum & tempus.

Quoad locum patet: Nam Lutheranismus & Calvinismus non transiit mare in Africam, nec in Asiam, Ægyptum ac Græciam: neque hæ partes orbis Augustanæ Confessionis aut Calvinianæ vel Zuinglianæ aut aliarum Sectarũ Nomina noverunt.

In Europa etiam plures Provinciæ & Regna illas ignorant, ut Italia, Hispania, Græcia, Moscovia; alia verò Regna maxima jam ex parte ab hujusmodi erroribus Sectariorum sunt purgata & libera. Exiguam Septentrionis partem occupant hæreses idqué non ex integro nec pridem, adeoq; omnibus hæreticis dici potest: *Non habetis fidem Apostolicam*: Quia de hac Paulus Romanis dicit, quòd fides illa annuntietur in universo mundo: At estnè universus mundus Suecia vel Anglia, Dania & aliquæ alibi particulæ? Certè non de illorum fide prædictum; Ps. 18. 4. *In omnem terram exivit sonus eorum.*

Quoad tempus, patet. Quia Sectæ hæreticorum non se extenderunt ad omnes ætates & annos ab Apostolis incipiendo. Nam ut supra innui, Arrius cœpit Anno Domini 324. Nestorius Anno Domini 431. Lutherus

1517.

1517. Calvinus 1538. &c. At ubi antea fuêre? Latuerunt? *Latuerunt, quia non fuerunt.*

At, ut Augustinus lib. 3. contra Parmenianum ait: *Ecclesia* declarata, quæ *supra montem* constituta est, *abscondi non potest.* Et *Chrysostomus* Hom. 4. in 16. Isai. ait: *Facilius est solem extingvi, quàm Ecclesiam obscurari.* Quæ loca etiam contra invisibilitatem Ecclesiæ confictam à Calvino huc attuli.

Quartum Indicium & Nota veræ Ecclesiæ.

SUnt MIRACULA, quibus fides à Deo est confirmata. Nam Marci 16. 17. Christus ait: *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur: Lingvis loquentur novis, in nomine meo dæmonia ejicient, &c.* Et Joan. 14. 12. *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet.* Et

Marci 16. 20. *Prædicaverunt ubique Domino confirmante Sermonem sequentibus signis.* Porro sicut *impossibile est Deum mentiri* ut est ad Hebr. 6. 18. Ita nec mendacia vel falsam fidem miraculis confirmare, quæ sunt quædam loquelæ Dei.

2. At fides Catholica & ii qui in ea vixerunt, plurimis semper coruscârunt miraculis & hucusq; coruscant. Hinc meritò S. Augustinus l. 17. de utilitate credendi, ait: *Tenent me in Ecclesia Catholica, Vincula miraculorum.* Et *Tenet me in Ecclesia auctoritas miraculis inchoata, &c.*

Et Richardus lib. 1. de Trinit. c. 2. inquit: *Domine, si error est, quod credimus, à te decepti sumus. Ista enim iis signis & prodigiis confirmata sunt, quæ non nisi à te fieri potuerunt.* Ut mittam alia innumera.



Catho-

CATHOLICA ECCLESIA claruit ſemper miraculis;

Nam

PRimo *Sæculo.* Apoſtolorum & Virorum Apoſtolicorum miraculis effulſit, ut in Actis Apoſtol.

Secudo Sæculo. Id eſt ad Annum 200. Milites Catholici claruêre prodigiis in exercitu M. Antonii teſte *Tertull. lib. ad Scopelianum; & Euſebio l. 1. c. 5.*

Tertio Sæculo. Id eſt ad annum 300. miraculis inclaruit Gregorius Thaumaturgus *teſte Baſilio* lib. de Spiritu S. *& Hieron.*

Quarto Sæculo. Eccleſia illuſtrata miraculis S. Antonii Magni, S. Martini, S. Nicolai, *teſte Athan. Hier. Sulpit.*

Quinto Sæculo. Habentur plurima miracula deſcripta à S. Auguſtino *lib.* 23. *de Civitat. Dei c.* 8.

Sexto Sæculo. Claruit miraculis Joannes & Agapetus Romani Pontifices. Alia ſcribit *Gregorius in Dial.*

Septimo Sæculo. Claruit miraculis Angliæ Apoſtolus Auguſtinus & Oſwaldus Rex, *teſte Beda.*

Octavo Sæculo. Catholici miraculis illuſtres, Joannes in Anglia *teſte Beda l.* 4. 5. *Hiſtor.* Et S. Cutbertus, cujus corpus poſt 418. annos integrum eſt repertum.

Nono Sæculo. Miracula Taraſii, & plurima Sueſſione in translatione reliquiarum S. Sebaſtiani. *Annal. Franc.*

Decimo Sæculo. Floruerunt miraculis SS. Romualdus, Venceslaus, Boëmus, Uldaricus, Dunſtanus. *Surius.*

Undecimo Sæculo. Id eſt ad annum 1100. S. Stanislaus Cracov. S. Edvardus Angliæ Rex, S. Anſelmus, Gregorius VII. Papa.

Duodecimo Sæculo. Id eſt ad annum 1200. S. Bernardus, S. Malachias, quem *Bernardus* ait antiquorum miraculorum gratiâ clarum.

Decimotertio Sæculo. Id eſt ad annum

num 1300. S. Franciscus, S. Dominicus S. Antonius de Pædua, S. Bonaventura, Cœlestinus V. Papa.

Decimoquarto Sæculo. Id est ad annum 1400. S. Bernardinus, S. Catharina Senensis, S. Nicolaus de Tolentino.

Decimoquinto Sæculo. seu ab anno Domini 1400. ad 1500. Claruit miraculis S. Vincentius Ord. Prædicat. teste S. Antonino (& ipso miraculis claro) qui 20. mortuos suscitavit. 3. *par. tit.* 23. Item S. Franciscus de Paula.

Decimosexto Sæculo. Ab Anno Domini 1500. Ecclesia coruscabat miraculis S. Philippi Nerii, S. Theresiæ, S. Ignatii de Loiola fundatoris Societatis Jesu, S. Francisci Xaverii, quem Bozius primis Apostolorum miraculis adæquat.

Sic: Mirabilis Deus in Sanctis suis! Psalm. 67. 36.

STaphylus *in absoluta respons.* de Luthero testatur, quòd dum vellet è Discipula sua dæmonem ejicere, periculum adierit, ne ipse á dæmone occideretur.

Scribit etiam Cochlæus *in actis Lutheri*, quòd hic Nesenum in Albi submersum Spe miraculi vanis immurmurationibus voluerit resuscitare. Sed gratis & surdo murmuravit.

Item *in Historiola de morte Lutheri* refertur, quòd dum Lutheri cadaver Vittembergam deferretur in media hyeme inclusum arcæ Stanneæ optimè clausæ, tam tetrum odorem spirare cœperit, ut coacti fuerint omnes relinquere corpus in medio itinêre.

At verò Calvinus (teste Hieronymo Bolseco *in Vita Calvini cap. 13.*) cùm quædam jussisset mortem fingere,

gere, ut illum poſſet quaſi mortuum ſuſcitare, ſubitò eum verè mortuum invenit. Nec alia vis fuit miraculi Calvini, quàm ut ſanus moreretur. *Quale miraculum, talis doctrina*, addit qui refert, & alii plures.

Hæc miracula hæreticorum! his fidem novitiam illuſtrârunt; plura non reperies.

At ſi Apoſtoli veram fidem adhuc miraculis debebant illuſtrare, & eam Dominus confirmabat *ſequentibus Signis*, ut dixi ex Marco, quanto magis hoc miraculorum ſubſidio eguit fides Sectariorum commentitia & nova?

Quod ſi ad miracula referri poteſt lumen Propheticum ſeu notio futurorum contingentium, nec his miraculis Sectarii claruêre.

Lutherus Anno 1525. prædixerat fore, ut evaneſcerent Papa, Cardinales, Epiſcopi, Monachi, ſi adhuc per duos annos prædicaret ſuam doctri-

nam. At prædicavit annis viginti uno, obiit enim Anno 1546. Tamen nihil tale hucusq; accidit. *Cochl. in Act. Luth.*

Thomas Muncerus dux Anabaptiſtarum, qui in Principes Germaniæ armaverat ruſticos, prædixerat ſuis certam victoriam, qui tamen, & ipſe, cœſi ſunt. *Cochlæus in Act. Luth.*

Lutherani conſtanter aſſeruerârunt futurum Extremum Judicium Anno Domini 1533. unde nec arare, nec ſerere volebant; ſed experientia mendaces oſtendit.

At de verè Prophetico Spiritu Catholicorum teſtantur tot Scriptores. De S. Benedicto Gregorius Magnus 2. *Dialog. c.* 15. De S. Bernardo *lib.* 4. *ejus vitæ c.* 3. De S. Franciſco, *Bonaventura in ejus vita*, &c. &c.

V. *Quin-*

V.

Quintum Indicium, ac Motivum Credibilitatis ingens pro Veritate Ecclesiæ.

EST SANGVIS TOT MARTYRUM, quem illi pro fide Catholica per tot jam sæcula constanter profudêre. Etiam hic Sangvis clamat de terra pro fidei ac Ecclesiæ Catholicæ veritate. Quis enim pro mendacio merisq; figmentis ad tam exquisitos cruciatus, & neces exquisitas sese offerret?

Quot Catholicorum millia pro fide Christi occubuêre sub prima Neronis persecutione? quot sub persecutione Domitiani? Quot sub Trajani? Quot sub Antonini? quot sub persecutione Severi? quot sub Maximini? quot sub Decii? quot sub persecutione Valeriani, Aureliani, Diocletiani, Maximiani? Quot sub Valente Arriano? sub Athanarico? quot sub Leone Iconoclasta?

Sanè

Sanè ſub Diocletiano quot menſibus cæſa Martyrum 17. millia, quæ perſecutio duravit annos decem. Cæſi ergo milliones duo Martyrum, ut (quod ait *Genebrardus*) posſit quotidie celebrari per annum memoria 30000. Martyrum.

Scribanius ait plures in Nova Lege cæſos Martyres, quàm pecudes in veteri; & quidem tantâ conſtantiâ, ut Cyprianus dixerit Epiſtol. ad Martyres lib: 2. *Inexpugnabilem fidem ſuperare non potuit ſæviens diu plaga repetita, quamvis rupta compage viſcerum torquerentur in ſervis Dei jam non membra ſed vulnera.*

Sic teſtimonium perhibuêre Veritati Martyres!

At in fide Lutheri vel Zuinglii vel Calvini quot Martyres numeras? ne unum quidem. Scilicet illi posſibilem dicent illam Chriſti Legem: *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus*

bus, &c. Luc. 12. 8. *Trademini autem, &c.* Luc. 21. 16. *In patientiâ vestra possidebitis animas vestras, &c.* Luc. 21. 19. qui impossibilem dicunt etiam leviorem ad observandum Decalogum, an Sangvinem profundere leve putabunt vel possibile? Refert *Engelgrave*, quòd dum Hollandus qui spectaverat *Caroli Spinolæ* Societatis Jesu Sacerdotis Martyrium & lentos in igne per binas horas cruciatus pro fide; dum, inquam hæc Hollandus Principi Nassovio referret præsentibus Ministellis, Princeps dixerit: *Scio nostros admoto stramineo fasce ad quamvis fidem desulturos.*

Sexta Nota & Indicium veræ Ecclesiæ.

EST quòd sit APOSTOLICA, seu quòd ab Apostolis per continuam successionem hucusque deducta. Ecclesia enim Christi in Apostolis initium habuit juxta illud Ephes. 2. 20.

Super-

Superædificati super fundamentum Apostolorum.

Atqui in nulla Secta sic viguit successio continua doctrinæ & fidei Apostolicæ per continuam Successionem Episcoporum & Doctorum in eadem fide semper convenientium ab Apostolorum temporibus, & velut de manu in manus eam tradentium, ut in Ecclesia Catholica; consequenter nulli sic & tam verè convenit Nomen Apostolicæ ut illi, ut mox ostendetur. *Ergo* sola hæc vera Ecclesia.

I.

Successionem hanc continuam Pontificum & Doctrinæ.

Æstimârunt Patres:

NAm S. Augustinus contra Epist. fundam. c. 4. ait: *Tenet me in Ecclesia ab ipsa sede Petri, cui pascendas o-*

ves

ves suas Dominus commendavit, usq; ad præsentem Episcopatum Successio Sacerdotum.

Idem lib. de utilit. credendi c. 17. ait: *Nos ejus Ecclesiæ condimur gremio, quæ ab Apostolica sede per Successionem Episcoporum frustra hæreticis circumlatrantibus culmen autoritatis obtinuit, cui nolle dare primas, ultimæ impietatis est, & præcipitis arrogantiæ.*

Idem in Psalter. contra partem Donati ait: *Numerate Sacerdotes in ipsa Sede Petri & in ordine illo Patrum, quis cui successerit, videte: Ipsa est Petra, quam non vincunt inferorum Portæ.*

Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum ait: *Negare non potes scire te in urbe Roma primam Cathedram Episcopalem Petro esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum Caput Petrus, cui successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, &c. Julio Liberius, Liberio Damasus, Damaso Siri-*

cius,

cius, cum quo Orbis in una Communionis Societate concordat.

Tertullianus lib. de Præscript. *Cedant hæretici origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris habuerit authorem & antecessorem: Hoc enim modo Romanorum Ecclesia Clementem à Petro ordinatum refert, &c.*

Irenæus *lib.* 3. *c.* 3. enumerat Romanos Pontifices à Petro ad Eleutherium, qui suo tempore sedebat in Pontificatu, dicitqué: Per hanc Successionem confundi hæreticos, quâ illi carent.

Epiphanius *hæresi* 27. enumerat ordine Pontifices Romanos, &c.

2.

Æstimârunt & hæretici
dictam Successionem.

1. Drue-

1. DRuetus hæreticus Bezam Geneve audivit de Pontificum successione sic dicentem: *Negare* (inquiebat) *non possumus personalem hanc in Petri Sede Successionem ceu de manu in manum traditam penes Papistas esse*. Tum ille ad Bezam converso Sermone: *Ergo nos*, inquit, *sumus Schismatici & Seditiosi; Nam Seditio est* â sede Itio. Mox Beza respondit: *Habent illi Personalem Successionem, nos doctrinæ*. Cui Druetus reposuit: *Quomodo personalis Successio separari possit â Successione Doctrinæ? ubi ergo sunt illa capita, in quibus Doctrina illa residet? Num Doctrina est sine Personis, quæ illam retineant & doceant? Fides enim ex auditu, auditus autem non fit, nisi alius dicat, dicere autem supponit personam quæ dicat*. Hoc discursu commotus Druetus Lutetiam ad Legatum Pontificis, deinde Romam profectus resipuit, & Catholicam fidem unà cum aliis 36.

rece-

recepit. Vide *in Pantheo Engelgrave.*

2. Item hæretica mulier in Zelandia vicinæ Catholicæ dicebat: *Non credo præsentem Papam esse Successorem Petri.* Respondit Catholica: *Quid si ego non credam, ultimum filum, quod in tuo est glomere, esse connexum cum primo?* Tum hæretica: *Evolve glomerem, & deprehendes successivè à primo omnia dependere.* Mox subintulit Catholica: *Sic vide Successionem in Romanis Pontificibus, quomodo semper unus alteri successerit continuatâ serie à Petro usque*, &c. Refert idem.

3.

Successionem hanc prædixit Paulus ad Ephes. 4. v. 11. 12. 13. Sic enim ait: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem*

tionem Corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis filii Dei. Ubi vides Pastorum & Doctorum tam diuturnam Successionem (nec enim primi perpetuò in se duraturi erant) prædici, donec fiat unitas fidei inter omnes, & *unum* sit *Ovile* ac *unus Pastor.* Joan. 10. 16.

4.

Eandem Successionem prædixit.

S. Malachias Archiepiscopus Ardinacensis & Metropolitanus Hyberniæ qui obiit Anno Domini 1148. secundâ Novembris (cujus vitam descripsit Sanctus Bernardus.) Hic Pontificum Romanorum Nomina à suo tempore Successurorum ad ultimum usque divinitus prædixit & descripsit ænigmaticè; quæ prædictiones ænigmaticæ sunt explicatæ feliciter usque Clementem X. qui Ecclesiæ nunc præsidet

ſidet. Hæc nomina & prophetiam de unoquoq; Pontifice ænigmaticam ego ſtatim apponam, ſed poſitâ priùs ſerie & ſucceſſione continuâ Romanorum Pontificum à S. Petro usque ad tempora prædicti Malachiæ Archiepiſcopi, nempe ad Cæleſtinum II.

Quot ânnis, menſibus & diebus quilib. ex infra ponendis Pontifex rexerit Eccleſiam, vide in Platina, Onuphrio, Baronio, Bzovio, &c. Ego tamen annos unicuiq; apponam, & aliquibus menſes, qui nec uno anno præfuerunt.



Series

Series Romanorum Pontificum à S. Petro.

S. Petrus Apostolus rexit Ecclesiam Ann. 24. mens. 5. dies 12.

S. Linus - - - - ann. 11.
S. Cletus - - - ann. 12.
S. Clemens - - - - ann. 9.
S. Anacletus - - - ann. 9.
S. Evaristus - - - ann. 9.
S. Alexander I. - - ann. 10.
S. Sixtus I. - - - ann. 10.
S. Telesphorus - - ann. 11.
10. S. Hyginus - - - ann. 4.
S. Pius I. - - - ann. 11.
S. Anicetus - - - ann. 11.
S. Soter. - - - - ann. 9.
S. Eleutherius - - ann. 15.
S. Victor I. - - - ann. 10.
S. Zephyrinus - - ann. 18.
S. Calistus I. - - - ann. 5.
S. Urbanus I. - - ann. 7.
S. Pontianus - - - ann. 5.

20. S. An-

20. S. Anterus - - - ann. 1.
S. Fabianus - - ann. 14.
S. Cornelius - - - ann. 2.
S. Lucius I. - - ann. 1.
S. Stephanus I. - - ann. 3.
S. Sixtus II. - - - ann. 1.
S. Dionyſius - - ann. 11.
S. Felix I. - - - ann, 2.
S. Eutychianus - - ann 8.
S. Cajus - - - ann. 12.
30. S. Marcellinus - - ann. 8.
S. Marcellus I. - - - ann. 5.
S. Euſebius. - - - ann. 2.
S. Melchiades - - ann. 2.
S. Silveſter - - - ann. 21.
S. Marcus Romanus - menſ. 8.
S. Julius II. - - - ann. 15.
S. Liberius - - - ann. 15.
. Felix II. - - ann. 1.
S. Damaſus - - - ann. 17.
40. S. Siricius - - ann. 13.
S. Anaſtaſius - - ann. 4.
S. Innocentius I. - - ann. 15.

S. Zoſi-

S. Zosimus	- - -	ann. 1.
S. Bonifacius I.	- -	ann. 5.
S. Cœlestinus I.	- -	ann. 8.
S. Sixtus III.	- -	ann. 8.
S. Leo Magnus	- -	ann. 21.
S. Hilarius	- - -	ann. 7.
S. Simplicius	- - -	ann. 15.
50. S. Felix III.	- - -	ann. 19.
S. Gelasius I.	- - -	ann. 5.
S. Anastasius II.	- -	ann. 2.
S. Symmachus	- - -	ann. 15.
S. Hormisda	- - -	ann. 9.
S. Joannes I.	- -	ann. 9.
S. Felix IV.	- - -	ann. 4.
S. Bonifacius II.	- -	ann. 1.
S. Joannes II.	- -	ann. 3.
S. Agapetus I.	- -	ann. 2.
60. S. Sylverius	- - -	ann. 3.
S. Vigilius	- - -	ann. 15.
S. Pelagius I.	- -	ann. 5.
S. Joannes III.	- -	ann. 15.
S. Benedictus I.	- -	ann. 4.
S. Pelagius II.	- -	ann. 12.

P S. Gre-

S. Gregorius Magnus - ann. 13.
Sabinianus - - - ann. 1.
Bonifacius III. - - ann. 4.
Bonifacius IV. - - ann. 9.
70. Deusdedit - - - ann. 3.
Bonifacius V. - - ann. 8.
Honorius I. - - ann. 12.
Severinus - - - ann. 1.
Joannes IV. - - ann. 1.
Theodorus I. - - - ann. 7.
S. Martinus I. - - ann. 6.
S. Eugenius I. - - ann. 10.
S. Vitalianus - - ann. 14.
Adeodatus - - - ann. 7.
80. Dorius - - - ann. 1.
S. Agatho - - - ann. 4.
S. Leo II. - - - ann. 1.
S. Benedictus II. - ann. 1.
Joannes V. - - ann. 1.
Conon I. - - ann. 1.
S. Sergius I. - - ann. 13.
Joannes VI. - - - ann. 3.
Joannes VII. - - ann. 2.

Sisi-

	Sisinius - - -	ann. 10.
90.	Constantinus - -	ann. 6:
	S. Gregorius II. -	ann. 16.
	S. Gregorius III. - -	ann. 11.
	S. Zacharias I. - -	ann. 10.
	Stephanus II. - -	ann. 4.
	Stephanus III. - -	ann. 5.
	S. Paulus I. - -	ann. 10.
	Stephanus IV. - -	ann. 3.
	Adrianus I. - -	ann. 23.
	Leo III. - - -	ann. 20.
100.	Stephanus V. - -	ann. 5.
	S. Paschalis I. - -	ann. 9.
	Eugenius II. - -	ann. 2.
	Valentinus - -	mens. 1.
	Gregorius IV. - -	ann. 16.
	Sergius II. - -	ann. 3.
	S. Leo IV. - -	ann. 8.
	Benedictus III. - -	ann. 3.
	Nicolaus I. - - -	ann. 9.
	Adrianus II. - -	ann. 2.
110.	Joannes VIII. -	ann. 10.
	Marinus - - -	ann. 1.

S. Adrianus III - - ann. 1.
S. Stephanus VI. - - ann. 6.
S. Formosus - - ann. 4.
Bonifacius VI. Antipapa dieb. 25.
S. Stephanus VII. - - ann. 4.
S. Romanus I. - - mens. 4.
S. Theodorus II. - dies 20.
Joannes IX. - - ann. 4.
Benedictus IV. - - ann. 3.
120. Leo V. - - - dies 40.
Christophorus - mens. 7.
Sergius III. - - - ann. 2.
Anastasius III. - - ann. 2.
Landus - - - mens. 5.
Joannes X. - - ann. 16.
Leo VI. - - - mens. 7.
Stephanus VIII. - - ann. 2.
Joannes XI - - ann. 5.
Leo VII. - - - ann. 4.
130. Stephanus IX. - - ann. 3.
Martinus vel (ut alii) Marinus II. 3.
Agapetus II. - - ann. 11.
Joannes XII. - - - ann. 9.
Leo

Leo VIII. Antipapa. ann. 1.
Benedictus V. - - - ann. 10.
Joannes XIII. - - ann. 7.
Donus II. - - mens. 3.
Benedictus VI. - - ann. 1.
Benedictus VII. - - ann. 9.
Joannes XIV. - - ann. 1.
Bonifacius VII. Antipapa mens. 4.
140. Joannes XV. - - - ann. 10.
Joannes XVI. - - mens. 7.
Gregorius V. - - ann: 3.
Silvester II. - - ann. 4.
Joannes XVII. aliis XVIII. ann. 9.
Joannes XVIII. aliis XIX. ann. 6.
Sergius IV. - - ann. 3.
Benedictus VIII. - ann. 2.
Ioannes XIX. aliis XX. ann. 10.
Benedictus IX. - - ann. 11.
Joannes XX. Antipapa.
150. Gregorius VI. - - ann. 3.
Clemens II. - - mens. 9.
Damasus II. - - dieb. 23.
Leo IX. - - - ann. 5.

	S. Victor II. - - -	aun. 1.
	S. Stephanus X. alias IX.	mens. 7.
	Benedictus X. Antipapa	mens. 9.
	Nicolaus II. - -	ann. 2.
	Alexander II. - -	ann. 11.
	Gregorius VII. - -	ann. 12.
	Victor III. - - -	ann. 1.
160.	Urbanus II. - -	ann. 11
	Paschalis II. - -	ann. 18.
	Gelasius II. - - -	ann. 1.
	Calixtus II. - - -	ann. 6.
	Honorius II. - - -	ann. 5.
	Innocentius II. - -	ann. 13.

Series reliquorum Summorum Pontificum post Innocentium II. prout est prophetice & ut dixi, ænigmatice prædicta à S. Malachia Archiepiscopo Ardinacensi. Qui enim alteri esset successurus, ejus nomen per ænigma descripsit usque ad ultimum futurum Pontificem: Ponam seorsim prophetiam ejus ænigmaticam, seorsim nomen Pontificis qui eâ designabatur, seorsim

seorsim explicationem cujusvis ex prædictis prophetiæ. Videre hæc omnia licet, cui lubet, tum in Astro Cisterciensium Auctore Chrysostomo Henriquez. lib. 2. Distinct. 3. c. 14. tum in Cajetano, tum in Pantheo Engelgrave, tum alibi.

Innocent XI mediolanensis
Creat. Pont. [illegible] Apr. Aº 1676
Odescalcus. Bellua insatiab.
Leo stemma

NB. Hîc inserenda est tabella litera P signata.

Alexander VIII Ottoboni
Venet.

Innocent XII. Pignatelli
Neapolitan

COROL-

Clemens XI. Albanus.
De Urbino
Innocentius XIII Conti
Romanus Aº 1721 ante
[illegible]



COROLLARIUM
Ad Superiorem §.
Fabula de Ioanne VIII. Papa refellitur.

Fabulam esse & merum figmentum de Joanne VIII. quòd fœmina fuerit;

Ostenditur primò:

Quia Ioannes hic nunc ab adversariis dicitur Moguntinus, nunc Anglus, quæ uti alia mendacia non cohærent.

Secundò: Quia Ioannem hunc dicunt adversarii Pontificatum gessisse alii annis duobus, mensibus quinque & tribus diebus; alii anno uno, diebus 4. medio inter Leonem IV. & Benedictum III. tempore; Cùm tamen post Leonis IV. obitum (teste Anastasio & Onuphrio) sedes vacaverit tantùm 15. diebus, & iidem statim subjiciant

jiciant Leoni IV. mortuo non Ioannem aliquem, sed Benedictum III. Quomodo ergo duo illi anni Ioannis fœminæ intra 15. dies arctabuntur? Quomodo prædictus Anastasius, qui & creationi Sergii II. & Leonis IV. & Benedicti III. & Nicolai I. & Adriani II. & Ioannis VIII. interfuit, ut ipsemet testatur, hac de re nesciisset, & in vitis Romanorum Pontificum à se descriptis non id scripsisset, aut post eum alii?

Tertiò: Quia post Anastasium, historiam, in qua frequenter meminit summorum Pontificum, edidit Ademarus Lutetiæ Parisiorum; item Antonius, item Rhegino Abbas Prumiensis, Hermannus Contractus, Lambertus Schafnaburgensis, Otto Frisingensis, Conradus Abbas Urbspergensis, qui Chronica diligenter scripserunt, nec tamen ullus Joannis fœminæ fabulam adducit. Item nec

Leo Ostiensis Episcopus, nec Joannes Cremonensis Presbyter.

Qrtò: Quia in vetustis Pandulphi Pisani libris nulla hujus fœminæ memoria est, sed in margine inter Leonem IV. & Benedictum III. alieno charactere à vetustis exemplaribus longè differente, hujus rei fabula à posteriore authore addita est, unde Martinus Polonus exscripsit aliorum authorum immemor.

Item testimonio Roberti, qui Sigebertum supplevit, in veris & germanis Sigeberti exemplaribus hæc fabula non exstat, sed ab aliquibus tantùm malevolè addita, cujus nullam Sigibertus in suis Chronicis per seipsum fecit mentionem. Alius autem nullus auctor est, qui id ante Martinum Polonum scripserit, præter illum. Patet ergo, quàm nullo authore, sed solo architectante mendacio fabula hæc confecta fuerit.

Quin-

Quintò: Quânam ratione postea Leo IX. Michaëli Cerulario Patriarchæ Constantinopolitano, & Leoni Acridono in hæresim & Schisma lapsis exprobrare ausus fuisset, quòd in Patriarchatu Constantinopolitano fœminam & eunuchum collocârint, nimirum Nicetam & Ignatium; si fœmina summum Sacerdotium Romæ tenuisset? Apparet, quòd hujus probri conscientia Sedem Romanam non arguerit, quod aliis exprobrabat. Alioquin debuerat ab his hæreticis timuisse, *medice cura teipsum.*

Sextò: Quia omnes ferè hanc fabulam ex Martino Polono hauserunt, qui vixit Anno Domini 1320. & ferè primus eandem fabellam nullo authore evulgavit. Huic autem quanta sit fides adhibenda, patet ex eo, quòd res etiam notiores falsis narrationibus confuderit. Ut dum in libro Mirabilium Urbis Romæ

ſcribit, quòd primus Succeſſor Romuli fuerit Pompilius Pater Numæ ſecundi Romanorum Regis. Cum tamen unus idemq́; fuerit Numa Pompilius.

Idem ibidem Numam Pompilium fuiſſe Romæ Tribunum plebis; cùm nec nomen hoc tunc adhuc Romæ auditum fuerit. Idem Portas Oſtienſes, Capenam & prope arcem S. Angeli vocat Collinam. Idem Pantheon Agrippæ, Cybeles ædem vocat. En quantæ rerum notitiæ fideiq́; ſcriptor ille, à quo etiam hæc fabula profluxit.

Imò ipſemet Martinus Polonus hiſtoriam hanc velut ab incertò rumore & incertis authoribus ortam refert aliiq́;, & inconſtanter quidem. Certè Platina, quem poſt Martinum Polonum citant adverſarii, fatetur rumorem hunc diſſeminatum eſſe incertis authoribus & obſcuris.

Septi-

Septimò : Quia qui ſupputàrunt diligenter tempora & Succesſionem Romanorum Pontificum, Ioannem VIII. non ponunt poſt Leonem IV. ſed Leoni IV. ſuccesſisſe inprimis Benedictum III. deinde Nicolaum I. deinde Adrianum II. tum denique Ioannem VIII. qui decem annis & duob. diebus Eccleſiam rexit, non ut de Ioanne fœmina adverſarii ſcribunt, eum nempe ſediſſe poſt Leonem IV. immediate annis duobus & menſibus quinque. De illo autem vero Joanne VIII. fama eſt apud omnes optima, nec ulla hujusmodi ſuſpicio; & in omnibus Bullis ac inſtrumentis hujus Pontificis, Ioannes VIII. ſemper nominatur : cui etiam illud memorabile contigit, ut ſolus brevi temporis ſpatio tres Imperatores coronaret, Carolum Calvum, Ludovicum III. Carolum Craſſum teſte Annonio & Ottone Friſingenſi

gensi. En ut mendacium illud vel hinc diluitur!

Octavò: Adversarii aliqui dicunt hunc Joannem VII. alii Joannem VIII. Sed septimus Joannes hic esse non potuit, quia nec Anglicus, nec Moguntinus fuit (ut illi hunc vocant) sed Græcus; & hoc tempus, quod illi ponunt, annis 160. præcessit, nec quidquam de illo tale notârunt, qui de eo scribunt Ado Vienensis, Antoninus, Sigebert. Onuphr. Genebr. Marian. Naucl. Volat. nec Romanum Concilium sub illo celebratum.


Non item potuit hic esse Joannes VIII. quia hic fuit Romanus, non Anglicus aut Moguntinus, & ob dicta numero septimo immediatè.

Addo tamen Nonò, quòd, ut advertit Majolus in Dieb. Canicular. errori huic fortasse vel facies, vel effœminatus vigor, vel pronitas ad

lachy-

lacrymas locum fecit: Vel confunditur historia cum Joanne XII. qui per vim patris Alberici potentiâ factus Papa, ante Pontificatum habuisse (nescio an verè) traditur à Luitprando Ticinensi concubinam nomine Joannam. Sed de hoc mendacio sit satis.

Hactenus de Successione continua Summorum Pontificum, & de Signis veræ Ecclesiæ in Catholica relucentibus, non item in Ecclesiis hæreticorum novam doctrinam profitentibus, & falsò oggerentibus, Ecclesiam Christi errâsse, defecisse.



§. VI. Sex-

§. VI.

Sextum Argumentum

Quo clarissimè ostenditur, falsò ab hæreticis objici Ecclesiæ Catholicæ defectionem à primæva Fide & Doctrina.

Adeoqué clarè demonstratur, illos ipsos cum suis hæresiarchis verè defecisse à vera & primæva Fide:

ARgumentum hoc desumam ex collatione & concordia etiam nunc ex vigentis fidei Catholicæ, cum fide illa, quæ primis quinque Sæculis post Apostolorum tempora immediatè floruit: quo tempore plerique hæretici dicunt Fidem Catholicam viguisse integram & incorruptam. Nam Calvinus lib. 1. Instit. c. 11. §. 13. ait, *Quingentis circiter annis & magis floruisse religionem & sinceriorem doctrinam viguisse*, *atque hoc tempore* (lib. 4. Inst. c. 2. §. 2.) ait: *Extra*

contro-

controversiam est, nihil à principio mutatum fuisse in doctrina, neque Romæ, neque in aliis urbibus. Hæc Calvinus.

Quare Patrum antiquissimorum, qui primis illis Sæculis vixêre, clarissima afferam testimonia, ex quibus apertissimè patebit veritas & indefectio Fidei Catholicæ ab illa antiqua & primæva; patebit & hæreticorum impostura ac deceptio: Patebit insuper Calvini impudentia & suomet ore suæ fidei condemnatio: cùm enim (ut immediatè attuli) dicat veram tunc fuisse fidei doctrinam, tamen ei contrariam tradiderit, certè suo se ore vosq; sui Sectatores condemnat, suamq; fidem ut novam, confictam, falsam. Sed adhuc

Prænoto hîc Primò, quòd etiam hoc argumento usus sit olim Theodosius Imperator, qui vixit Anno Domini 390. ut enim compesceret suo tempore in fide dissidentes, jussit Principes

cipes Sectarum convenire, teste Sozomeno *Histor. lib. 7. cap. 12.* Deinde petiit, an antiquos Patres, qui Ecclesiam rexerant ante illud de religione dissidium, censerent omnia in rebus fidei rectè sensisse & Apostolicos fuisse? Quibus id concedentibus subjunxit: *Examinemus ergo doctrinam vestram ad illorum Scripta: Et si cum illis convenit, retineatur; Sin minus, abjiciatur.* Idem nunc hæretici sibi dictum putent.

Prænoto Secundò. Huc spectare, quod refert Edmundus Campianus *in Decem Rationib. de Joanne Juello Calvinista.* Hic Anno Domini 1570. lacessivit Angliæ Catholicos, provocans ad testimonia Patrum, qui intra Annum Domini sexcentesimum floruissent. Accipiunt conditionem Catholici exules Lovanii, tam feliciter antiquorum Doctorum testimonia proponentes pro Fide Catholica, ut

Calvi-

Calviniani coacti fuerint edictum publicum valvis appendere, quo ſuos omnes prohibebant à lectione & retentione voluminum illorum Patrum, quorum teſtimoniis ſunt convicti. En iterum cæcus in veſtris interitûs ſui veſtriq; amor!

Prænoto Tertiò. Illud ex Calvino, quod lib. 3. Inſt. c. 3. §. 10. dicit: *Ab Auguſtino* (inquit) *ſumant Lectores, ſi quid de ſenſu antiquitatis habere volunt.* Et addit: *Pro omnibus antiquis Doctoribus poſſe unum ſufficere Auguſtinum.* Ideò hîc ejus teſtimonia liberaliter afferam.

Sed priùs exponam, quo tempore quis ex Patribus hîc citandis vixerit primis quinque ante 600. Annum ſæculis.



I. No-



I.

Nomina & Sæcula Patrum, Doctorum ac Scriptorum qui primis quinq; Sæculis ante Annum Domini 600. vixerunt, quorum hîc testimonia allegantur.

Patres primi Sæculi.

Clemens Romanus vixit Anno Domini 80.
Clemens Alexandrinus vixit ann. 190.
Dionysius Areopagita vixit ann. 80.
Ignatius Martyr ann. Dom. 100.
Irenæus ann. D. 16.
Iustinus Martyr ann. D. 150.

Patres secundi Sæculi.

Cyprianus vixit ann. D. 240.
Gregorius Thaumaturgus ann. 226.
Hippolitus Episc. ann. D. 220.
Origenes ann. D. 230.

Tertu-

Tertullianus	ann. Dom. 200.
Victorinus	ann. Dom. 263.

Patres tertii Sæculi.

Ambrosius vixit	Anno Domini 380.
Athanasists	ann. 340.
Amphilochius Episc.	ann. 390.
Basilius	ann. 380.
Chrysostomus	ann. 380.
Cyrillus Hierosol.	ann. 350.
Dydimus Alexandr.	ann. 350.
Ephrem Diaconus	ann. 380.
Epiphanius	ann. 390.
Eusebius Cæsariens.	ann. 330.
Gregorius Nazianzen	ann. 380.
Gregorius Nyssenus	ann. 380.
Hieronymus	ann. 380.
Hilarius Pictav.	ann. 350.
Iuvenius Presbyter	ann. 350.
Lactantius	ann. 302.
Optatus Milevitan.	ann. 370.
Pacianus Episc.	ann. 350.
Theophilus Alexand.	ann. 350.

Patres

Augustinus vixit Anno Domini	420.
Evodius	ann. 420.
Chrysologus	ann. 430.
Cyrillus Alexandr.	ann. 430.
Fulgentius	ann. 480.
Gelasius Papa	ann. 496.
Gennadius	ann. 490.
Innocentius I.	ann. 417.
Isidorus Cordub.	ann. 420.
Leo Magnus	ann. 450.
Maximus	ann. 420.
Prosper	ann. 450.
Paulinus	ann. 420.
Ruffinus Aquilejensis	ann. 400.
Sozomenus Historicus	ann. 430.
Theodoretus	ann. 440.
Vincentius Lyrinensis	ann. 400.

Patres quinti Sæculi.

Andreas Cretæ Episc. vixit An. D.	540.
Eusebius Emissenus	ann. 520.
Fortunatus Episcopus	ann. 550.

Grego-

Gregorius Magnus ann. 593.
Gregorius Turonensis ann. 583.
Victor Episcop. ann. 540.

Ergo iam dictorum Patrum testimonia & fidem Catholicam nunc etiam vigentem conferamus, quàm verè cum primæva conveniat, nec ab ea defecerit, clarissimè conspecturi.

II.

Conferuntur Testimonia Patrum, cum doctrina Catholicorum,

DE ECCLESIA, ECCLESIÆ CAPITE, DE VERBO DEI.

1. Docent Catholici creduntq; Primatum Petri, seu Summum totius Ecclesiæ regimen Petro fuisse collatum à Christo:

Docet

Docet idem S. Augustinus lib. 2. de Baptis. c. 1. dicens: *Etiam nos in Scripturis sacris didicimus Apostolum Petrum, in quo primatus Apostolorum tam excellenti gratiâ præeminet.*

Idem Tomo 4. qu. 75. ait: *Post Salvatorem in Petro omnes causæ Magisterii continentur; ipsum enim constituit Caput eorum, ut esset Pastor Dominici gregis.*

Idem Serm. 124. de temp. ait de Petro: *Dominus totius Corporis morbum in Capite Ecclesiæ sanat.*

Docet idem S. Ambrosius in cap. 12. Epist. 2. ad Corinth. *Primatum* (inquit) *non accepit Andreas, sed Petrus.*

Idem in cap. 1. ad Galat. ait: *In Ecclesiæ nave Petrus Magister est constitutus dicente Domino: Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Docet idem S. Hieronymus lib. 1. in Iovinianum: *Inter 12. unus eligitur, ut Capite constituto, Schismatis occasio*

tollere-

tolleretur. Cur non Joannes electus est? Quia Petrus senior erat.

Idem lib. 1. contra Pelag. ait: *Petrus Apostolorum Princeps fuit, super quem Ecclesia Domini fundata est.*

Docet idem Chrysostomus Homil 11. in Matth. Sic: *Ecclesia, cujus Pastor & Caput homo piscator.* Et infra: *Petrum universo terrarum Orbi Christus præposuit.*

Idem Homil. 87. in Joann. ait: *Petro Apostolorum curam demandavit, & Orbem terrarum totum commisit. Os erat Apostolorum, & Princeps & Vertex ipsius cætûs.*

Docet idem Maximus *Serm. 3. de Apost.* Item Optatus Milevit. *lib. 3. contr. Parmen.* Euthymius *in cap. ult. Joann.* Cyprianus *lib. 1. Ep. 8. ad plebem.* Cyrillus Alex. *opusc. contr. Græcos.*

2. Docent Catholici, Romanum Pontificem esse Petri Successorem & Caput Ecclesiæ:

DOcet & Augustinus Epist. 163. dicens: *In Romana Ecclesia semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus.* Et Epist. 92. ad Innocentium Papam ait. *Quia te Dominus in Apostolica Sede collocavit, magnis periculis Membrorum Christi Pastoralem diligentiam adhibe.* Item lib. 2. cap. 21. contra Petilianum ait: *Cathedra tibi quid fecit Romanæ Ecclesiæ, in qua sedit Petrus, in qua nunc sedet Anastasius, quibus nos in Catholica unione connectimur?*

Docet & Hieronymus Epist. ad Damasum Papam de Hypostasi dicens: *A Pastore præsidium Ovis peto: Cum Successore Piscatoris & Discipulo Crucis loquor. Ego beatitudini tuæ, id est*

est, Cathedræ Petri communione consocior, supra illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Tu qui Summus Sacerdos, &c. &c.

Docet & Cyrillus Alexandr. in libr. Thesauri: *Debemus* (inquit) *nos Capiti nostro Romano Pontifici & Apostolicæ Sedi adhærere.* Quem locum citat Gennadius.

Docet & Ambrosius lib. 10. Epist. 87: *Siricius Papa Ovile* (inquit) *Christi custodit, dignus, cui oves Domini audiant.* Idem in 3. caput 1. ad Corinth. ait: *Domus Dei Ecclesia dicitur, cujus rector est Damasus.*

Docet & Athanasius Epist. ad Felicem Papam sic: *Ob id Vos, Prædecessoresq; Vestros, Apostolicos videlicet Præsules in summitatis arce* (DEUS) *constituit, omniumq; Ecclesiarum curam habere præcepit.*

Docet & Cyprianus lib. 1. Ep. 3. ſic: *Nec aliunde hæreſes ortæ aut natæ Schiſmata, quàm quòd Sacerdoti Dei non obeditur, nec unus Eccleſiæ ad tempus Sacerdos & Judex Vice Chriſti cogitetur.*

Docet & Generale Concilium Chalcedonenſe celebratum Anno Domini 451. quod Act. 1. 2. 3. Leonem Papam vocat *Univerſalis Eccleſiæ Pontificem.*

Et Juſtinianus Imperator qui vixit Anno Domini 528. Epiſt. ad Joannem II. Papam ait: *Veſtræ innoteſcat Sanctitati, quæ Caput eſt omnium Eccleſiarum.*

Docent idem Optatus Milev. *c. 2. contra Parmen.* Vincentius Lyrinenſ. *in Comment. &c.*

3 Docent Catholici, ſolam Eccleſiam Catholicæ Romanam eſſe veram Chriſti Eccleſiam;

Do-

Docet & Augustinus Epist. 50. ad Bonifacium Comitem sic: *Ecclesia Catholica sola est Corpus Christi, cujus ille est Salvator Corporis sui: Extra hoc Corpus neminem vivificat Spiritus Sanctus.*

Idem Epist. 152. ad Donatum ait: *Quisquis ab Ecclesia Catholica separatus fuerit, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quòd à Christi unitate disjunctus sit, ira Dei manet super eum.*

Idem contra Petilianum ait: *Cathedra tibi quid fecit Romanæ Ecclesiæ, in qua sedit Petrus, in qua nunc sedet Anastasius, quibus nos in Catholica Unione connectimur, & à qua vos nefariè separâstis.*

Idem lib. 1. de Symbolo ait cap. 6: *Ipsa est Ecclesia Sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica contra omnes hæreses pugnans.*

Docet & Hieronymus Epiſt. ad Damaſum Papam de Hypoſtaſi ſic: *Hîc in tres partes Sciſſa Eccleſia me ad ſe rapere feſtinat. Clamito: Si quis Cathedræ Petri jungitur, meus eſt. Ego beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri communione conſocior, ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio: qui tecum non colligit, ſpargit: quicunq́ extra hanc domum Agnum comederit, profanus eſt: Si quis in arca Noë non fuerit, peribit diluvio regnante.*

Docet & Ambroſius Orat. de Satyro fratre: *Rogavit, ſi cum Epiſcopis Catholicis, id eſt, cum Eccleſia Romana conſentiret.*

Idem lib. 3. de Sacram. ait: *In omnibus ſequi cupio Eccleſiam Romanam.*

Docet & Gregorius Nazianzenus carm. de Vita ſua ſic: *Vetus Roma ab antiquis temporibus habet rectam fidem & ſemper eam retinet, ſicut decet*

Urbem

Urbem hanc de Deo semper integram fidem habere.

Docet & Cyprianus lib. de Unitate Ecclesiæ sic: *Quomodo, qui Cathedram Petri, superquam fundata Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?*

Docet & Irenæus: *Ad Ecclesiam Romanam*, inquit, *propter potentiorem Principalitatem oportet omnes Ecclesias convenire.*

Docet & Leo 1. Epist. 70. sic: *Sola Fides Catholica sanctificat & vivificat.*

4. **Docent Catholici, Judicem Controversiarum in rebus fidei esse Ecclesiam per Pontificem, vel per Concilia à Romano Pontifice approbata:**

DOcet & Augustinus contra Epist. Fundam. c. 5. sic: *Ego Evan-*

gelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret authoritas.

Idem lib. contra Cresconium c. 23. *Quia Sacra Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit obscuritate quæstionis, Ecclesiam de illa consulat, &c.*

Docet & Cyprianus ut jam retuli lib. 1. Epist. 3. sic: *Nec aliunde hæreses ortæ sunt aut nata Schismata, quàm inde quòd Sacerdoti Dei non obeditur, nec unus ad tempus, Ecclesiæ Sacerdos & ad tempus Judex Vice Christi cogitetur.*

Idem lib. de Unit. credendi ait: *Compendium probandæ Veritatis Petro & ejus successoribus in Ecclesia tribuitur.*

Docet & Hieronymus Epist. ad Damasum Papam sic: *Obsecro, ut mihi literis tuis sive tacendarum sive dicendarum hypostaseon detur authoritas: Non timebo duas hypostases dicere, si jubeatis.*

Docet & Prosper qui *lib. contr.*

Col-

Colat, Pelagianos esse hæreticos probat, quia sunt damnati à Romanis Pontificibus, Innocentio, Zosimo, Cœlestino.

5. Docent Catholici, Traditiones esse recipiendas insuper præter Scripturam:

DOcet & S. Augustinus lib. 4. de Bapt. c. 24. sic: *Quod universa tenet Ecclesia, nec à Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur.*

Item lib. 2. de Bapt. c. 7. ait: *Multa non inveniuntur in literis Apostolorum, nec in Conciliis: tamen quia custodiuntur per totam Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita creduntur.* Idem docet de baptismo parvulorum *lib.* 10.

Docet & Chrysostomus in Epist. 2. ad Thessalon. sic: *Non omnia per Episto-*

pistolam tradidit Apostolus, sed multa etiam sine literis: Eâdem verò fide digna sunt tam ista, quàm illa.

Docet & Dionysius Areopag. 1. Cæl. Hierarch. sic: *Primi illi Sacerdotalis Muneris Duces, summa illa & supersubstantialia partim scriptis, partim non scriptis, nobis tradiderunt.*

Docet & Basilius lib. de Spiritu S. c. 27. sic: *Dogmata quæ in Ecclesia servantur & prædicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex Apostolica Traditione ad nos delata recipimus, quæ utraq; eandem vim habent ad pietatem, & nemo his contradicit.*

Docet & Gregorius Nazianz. Orat. in Julian. sic: *Traditiones acceptas in hunc usq; diem servamus.*

Docet Origenes. Item Hieronymus *Dial. contra Luciferianum.* Et *contra Helvidium*, ubi doctrinam de

de perpetua Virginitate DEI Paræ ad traditionem refert.

6. Docent Catholici, omnes Libros Veteris & Novi Testamenti in Bibliis Catholicis positos esse Canonicos:

DOcet idem Gelasius *in Consilio Romano, qui sedit Anno Domini* 492. Docet idem ante Gelasium S. Augustinus *lib.* 2. *de Doctr. Christ. cap.* 8. ubi expressè & nominatim omnes libros in Bibliis Catholicis pro Sacris positos ordine recenset inter Sacros & Canonicos.

Docet idem Athanasius, Hieronymus, Origenes *de Apocalypsi apud Bell. Bec.*

Docet Isidorus lib. Proæmiorum de lib. Vet. & Novi ſteſtament. ubi ait: *Inter Canonicas Scripturas Ecclesia nume-*

numerat libros Tobiæ, Judith, & Machabæorum, Sapientiam, & Ecclesiasticum.

Item librum Esther inter Sacros recensent *Orig. Hilar. Hieron. Cyrill. Epiphanius.*

7. Docent Catholici de Auctoritate Conciliorum Generalium à Rom. Pontifice approbatorum:

DOcet & Augustinus Ep. 118. sic: *Dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, &c.*

Docet & Basilius *Epist.* 52. *ad Athanas.* ubi scribendum censet ad Romanum Pontificum, quatenus ipsius auctoritate solverentur Ariminensis Concilii acta.

Docet & Isidorus Præfat. in opus Conciliorum sic: *Nullam Synodum reperi,*

peri, nisi vel congregatam, vel fultam Romanæ Sedis auctoritate.

Docet & Ambrosius Epist. 22. sic: *Sequor tractatum Nicæni Concillii, à quo me nec mors, nec gladius poterit separare.*

Docet & Hilarius, qui censuit moriendum potiùs, quàm recedendum à decretis Conciliorum Generalium. Et reipsâ ideò passus est exilium.

Docet & Gregorius Magnus lib. 1. Epist. 24. sic: *Si quis quatuor Synodos Evangeliis non exæquet, anathema sit.* Intelligens Concilium Nicænum, Ephesin. Chalcedon. Constantinop. Et Patres Concilii Chalcedonensis celebrati Anno Domini 451. Act. 3. supplicant per literas, Leoni Papæ sic. *Precamur, ut tuo decreto nostrum honores judicium, & sicut in bono concorditer convenimus, ita eminentia tua filiis, quòd decet, adimpleat.*

Conferuntur testimonia Patrum cum doctrina Catholica.

DE SACRAMENTIS ET SACRIFICIO.

I. Docent Catholici Septem esse Sacramenta Novæ Legis:

DOcent idem antiquissimi Patres, quod de singulis Sacramentis ostendo. Nam

De Sacramento BAPTISMATIS & Confirmationis Cyprianus. lib. 2. Epist. 1. dicit: *Si Sacramento utroq; nascantur. De Baptismo omnes consentiunt.*

De Sacramento CONFIRMATIONIS Docet Augustinus lib. 2. contra Petilianum. cap. 104. dicens: *Sacramentum Chrismatis in genere visibilium Signaculorum Sacrosanctum est, sicut & Baptismus.*

Docet

Docet Tertullianus lib. de Præscript: *Tingit & ipse credentes suos, signat in fronte milites suos, manus imponitur per benedictionem invitans Spiritum Sanctum.*

Docet Dionysius Areop. Cæl. Hier. p. 2. sic: *Baptizatum ad Pontificem deducunt, ille Divino ac Deifico prorsus ungvento virum signat.* Et cap. 4. par. 3. ait: *Adventum Spiritûs Sancti consummatis ungventi inunctio elargitur.*

Docet Cyprian. *lib.* 1. *Epist. ult.* Ambrosius *lib.* 3. *de Sacram. c.* 2. Origenes *Homil.* 9. *in Levit.*

De Sacramento EXTREMÆ UNCTIONIS. Docet Augustinus Serm. 215. sic: *Quoties infirmitas supervenerit, Corpus & Sangvinem Christi, qui ægrotat, accipiat, ac deinde Corpus suum ungat, ut illud quod scriptum est, impleatur: Infirmatur quis? inducat Presbyteros, & orent pro eo ungentes eum oleo, &c.*

Idem lib. 2. de Visit. infirmo: *Ergo roges (inquit) de te, & pro te fieri, sicut dixit Apostolus Jacobus, imò per Apostolum suum Dominus: Ipsa videlicet sacri Olei delibutio, intelligitur Spiritûs Sancti typica unctio.*

Docet Innocentius Primus Epist. 1. ad Decentium c. 8. (*vixit Anno Domini* 402.) dicens: *Unctionem infirmorum esse Sacramentum à Jacobo Apostolo explicatum:*

Docet Origenes *Hom. 8. in Levit.* Chrysost. *l. 3. de Sacram.*

De Sacramento ORDINIS. Docet Augustinus. lib. 2. contra Parmen. c. 13. dicens: *Utrumq; Sacramentum est, & quadam consecratione utrumq; homini datur: illud cùm baptizatur; istud, cùm ordinatur, ideoq; in Ecclesia Catholica non licet utrumque iterare.*

Docet Chrysostomus lib. 3. de Sacramentis sic: *Sacerdotium in terra peragitur, sed in rerum Cælestium classem ordinemq;*

dinemq; referendum est: ipse Paracletus ordinationem hujusmodi disposuit.

Docet Leo Primus Epist. 81. ad Dioscor. c. 1. Ubi *Ordinationes Sacramentum vocat.*

Ignatius Martyr Epist. ad Antiochen meminit Ordinum dicens: *Saluto sanctum Presbyterium, saluto sanctos Diaconos, saluto Subdiaconos, Lectores, Ostiarios, Exorcistas, &c.*

Docet Ambrosius *lib. de Sacerd. dignit. c.* 5. Innocentius Primus *Epist.* 18. Hieronymus, &c.

De Sacramento EUCHARISTIÆ, omnes docent: Inter hos Augustinus Tract. 26. in Joann. ait: *Licet visibiliter premat dentibus Sacramentum Corporis & Sangvinis Christi.*

Item Ambrosius l. 4. de Sacram. c. 4. *Sermo Christi hoc confecit Sacramentum, &c.*

De Sacramento PÆNITENTIÆ Docet Augustinus lib. 1. de adulteri-

nis conjugiis c. 26. & 28. dicens: *Eadem est causa Baptismi & Reconciliationis, sine quibus Sacramentis homines credunt se non debere exire de Corpore.*

Docet Clemens Rom. *l.* 2. *Constit. Apost. cap.* 13. Item Origenes *Hom.* 1. *Jerem.*

Docet Cyprianus *Epist.* 52. Item Dionysius *Epist.* 8. *ad Demoph.*

De Sacramento MATRIMONII. Docet Augustinus lib. 1. de Nuptiis dicens: *Hujus Sacramenti vis est, ut mas & fæmina copulati, quamdiu vivunt, inseparabiliter perseverent.*

Idem de fide & operib. cap. 7. ait: *In Ecclesia Nuptiarum non solum Vinculū, sed etiam Sacramentum commendatur.*

Docet Chrysostomus *Hom.* 20. *in Epist. ad Ephes.*

2. Docent Catholici in Eucharistia esse verè & realiter Corpus & Sangvinem Christi, ipsumq́; Christum: Do-

DOcet & Augustinus in Psalmum 98. dicens : *De Carne MARIÆ Carnem accepit, & in ipsa Carne hîc ambulavit, & ipsam Carnem nobis manducandam ad salutem dedit, &c.*

Idem in Psalmum 33. Conc. 1. ait : *Ferebatur Christus in manibus suis, quando commendans ipsum Corpus suum ait, Hoc est Corpus meum : ferebat enim Corpus in manibus suis.* Et Tract. 27. in Joann. 6. & alibi passim.

Docet Ambrosius lib. 4. de Sacram. c. 4. *Panis iste panis est ante verba Sacramentorum, ubi accesserit consecratio, de Pane fit Caro Christi.* Ibidem ait : *Corpus, quod conficimus, de Virgine est.* Idem lib. 6. c. 1. de Sacram. ait : *Sicut verus est Dei Filius, ita vera Caro quam accipimus.* Et lib. 3. de Spiritu Sancto c. 12. ait : *Caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus.*

Docet Chrysostomus Hom. 51. sic:

Carnes suas nobis tradidit, seipsum immolatum proposuit, ipsum tangis, ipsum comedis.

Idem Hom. 24. in 1. ad Corinth. ait: *Sic adorandus in altare Christus, sicut illum adorârunt Magi in præsepio.*

Docet Cyprianus Serm. de Cœna Domini sic: *Panis iste quem Discipulis Dominus porrigebat, Omnipotentiâ Verbi factus est Caro, & Sacramento Visibili infallibiliter se infudit Divina Essentia.*

Docet Tertullianus lib. de Resurrect. sic: *Caro vescitur Corpore & Sangvine Christi, ut anima de Deo saginetur.*

Docet Cyrillus Alexandr. lib. 10. in Joann. c. 13. sic: *Per sacram Eucharistiam Christus in nobis manet non solùm per affectum, sed re ipsâ.*

Docet Cyrillus Hierosol. catech. 4. sic: *Cùm ipse Christus sic affirmet de Pane, Hoc est Corpus meum, quis audeat*

deat deinceps dubitare? Quare omni cum Certitudine Corpus & Sangvinem Christi sumamus, nam sub specie Panis datur tibi Corpus.

Docet Hieronymus *Epist. ad Hedibiam q. 2.* Origenes *Hom. 13. in Exod.* Hilarius *l. 8. de Trinit.* &c.

3. Docent Catholici Transubstantiationem Eucharisticam seu conversionem Panis & Vini in Corpus & Sangvinem Christi, adeoq; falsam esse Impanatorum Sententiam:

DOcet & Augustinus Serm. 28. de Verbis Domini sic: *Dixi vobis, quòd ante Verba Christi, quod offertur, Panis dicitur; ubi Christi verba deprompta fuerint, jam non Panis dicitur, sed Corpus appellatur.*

Docet Ambrosius lib. 4. de Sacram. c. 4. *Ubi accesserit consecratio, de*

Pane

Pane fit Caro Christi. Sermo Christi, qui potuit facere ex nihilo quod non erat, non poterit ea quæ sunt, mutare in id quod non erant?

Docet Cyprianus (*ut proximè citavi*) Serm. de Cœna Domini: *Panis iste quem Discipulis Dominus porrigebat, non effigie, sed naturâ mutatus, Omnipotentiâ Verbi factus est Caro.*

Docet Gregorius Nyssenus Orat. Catecheticâ 37. cap. sic: *Rectè DEI VERBO sanctificatum panem in DEI VERBI Corpus credimus immutari.*

Docet Cyrillus Hierosol. Catech. 4. sic: *Aquam mutavit in Vinum; & non erit dignus cui credamus, quòd Vinum in Sangvinem commutârit?*

Docet Eusebius Emissenus Serm. de Corpore Domini sic: *Antequam invocatione Summi Numinis consecrentur; substantia illic est Panis & Vini; post verba autem Christi, Corpus & Sangvis Christi.*

4. Do-

4. Docent Catholici, in Missa offerri Deo verum Sacrificium à Christo Domino institutum.

DOcet & Augustinus in Psalm. 33. Conc. 2. sic: *Ipse de Corpore suo & Sangvine Sacrificium instituit secundùm Ordinem Melchisedech.*

Idem Epist. 23. ait: *Christus semel in Cruce immolatus, omni die in Sacramento immolatur.*

Et lib. 4. de Trinit. c. 14. *Quid gratius offerri aut suscipi potest, quàm Caro Sacrificii nostri, Corpus effectum Sacerdotis nostri?*

Idem qu. 57. in Leviticum inquit: *Illis Sacrificiis unum hoc nostrum Sacrificium significabatur, in quo fit vera remissio peccatorum* (en Propitiatorium Sacrificium?) *à cujus Sacrificii Sangvine in alimentum sumendo nemo prohibetur, &c.*

Docet

Docet Ambrosius in c. 11. Lucæ sic: *Cùm sacrificamus, Christus adest, Christus immolatur.*

Idem in Psalm. 38. ait: *Ipse Christus offertur in terris, cùm ejus Corpus offertur.*

Docet Chrysostomus Homil. 24. in 1. ad Corinth. sic: *Pro victimarum & pecorum cæde seipsum offerendum præcepit.* Et Hom. 17. in Epist. ad Hebr. ait: *In multis locis offertur unus ubique Christus, hîc & illic plenus existens.*

Docet Cyprianus lib. 2. Epist. 3. *Dominus noster Sacrificium Deo Patri obtulit Panem & Vinum, id est, Corpus & Sangvinem.*

Docet Hippolytus Martyr Orat. de Antichr. *Venite Pontifices & Sacerdotes, qui pretiosum Corpus & Sangvinem meum quotidie immolastis.*

Docet Cyrillus *Catech.* 5. Hieronymus *in* 1. *ad Tim.* Gregorius Nyssenus, &c.

De

Testatur Augustinus lib. 22. Civit. c. 8. *Quendam è suis Presbyteris in domo rustica Sacrificium Corporis & Sangvinis Domini obtulisse.*

Ambrosius (teste Paulino) *in domo clarissimæ fæminæ rogatus Sacrificium fecit.*

Gregorius Nazianz. (teste Sozomeno l. 7. Hist. c. 5.) *in exigua cellula sacra fecit.*

Theodoretus c. 20. Hist. religios. scribit *Se in cellula Maris Anachoretæ sacra mysteria celebrâsse.*

Joannes Eleemosynarius Episc. *qui vixit Anno Domini* 599. teste Leontio in ejus vita dixit: *Ego filii, propter vos in Ecclesiam descendo: Nam mihi ipsi in Episcopio Missas facere poteram.*



5. Docent Catholici, Communionem sub una specie esse licitam & in usu fuisse, nec Scripturæ sacræ contrariam:

DOcet Paulinus in Vita S. Ambrosii, *quem ante obitum sub una specie sumpsisse Eucharistiam testatur.*

Docet Eusebius l. 6. Hist. c. 36. *Unius speciei usum fuisse apud infirmos.*

Docet Felix Tertius Epist. 1. c. 2. *qui vixit Anno Domini* 492. Item Siricius Papa *Felice antiquior annis circiter centum*, *Epist.* 1. c. 11. Item Concilium Elibertinum ante Siricii tempora celebratum, Can. 16. *fuisse tunc Communionem laicam in usu, quæ in pœnam dabatur Clericis, negatâ illis Communione Clericali.*

Docet Amphilochius *Basilium Magnum in extremis sub sola specie Panis Eucharistiam sumpsisse.*

Docet Cyprianus Serm. de lapsis

psis, *asservatam olim Eucharistiam sub una specie in usum infirmorum & aliò abeuntium*; qui usus non fuisset permissus, si esset contra Christi præceptum.

Docet Innocentius Primus Ep. 1. c. 4. & Concilium Laodicenum Can. 49. meminit *Communionis Præsanctificatorum seu ex antè consecratis*, cujus fuit usus apud Græcos totâ Quadragesimâ præter Dominicam & Sabbatum, apud Latinos die Parasceves, quo die etiam nunc non fit consecratio, & ipse Sacerdos communicat sub una specie præconsecrata.

Docet Augustinus lib. 3. de Consensu Evang. c. 25. Item Hieronymus, Hesychius, *duobus Discipulis in Emaus datum fuisse Sacramentum Eucharistiæ sub una specie Panis* juxta illud Luc. 2. 35. *Et cognoverunt eum in fractione Panis.* Et Lucas in Actis Apostol. c. 2. 42. tantum meminit uni-

us] speciei : *Erant, inquit, perseverantes in communicatione fractionis Panis & in doctrina Apostolorum.*

Docet Beda ante annos ab hinc nongentos ferè, *fuisse suâ ætate usum Communionis sub una specie.* Item Bernardus *in suo Monasterio præbebat Communionem unius speciei*, ut est in ejus vita lib. I. c. II.

Contraria Patrum testimonia tantum concedunt usum aliquando fuisse calicis quoad omnes, sed non sub præcepto Divino quoad omnes, aliàs nec Communio infantium (quæ teste Cypriano *Serm. de lapsis* fuit sub una specie, *nempe vini guttulâ tantùm illis instillatâ*) nec ægrorum, nec præconsecratorum sub una specie usus viguisset, ut ostendimus viguisse primis Sæculis.



6. Do-

6. Docent Catholici auricularem Confessionem peccatorum in particulari, coram Sacerdote:

DOcet & Augustinus lib. 2. de Visitatione infirmiorum dicens: *Ergo ad te venire roges Sacerdotem, & fac ipsum conscientiarum tuarum penitùs participem, &c.* Ubi addit, *non salvare Sacerdote inconsulto, ad Deum peccatorum confessionem.* Addens: *Cicatricum tuarum arbiter Dei vice Dominus adhibeatur presbyter, revela ei vias tuas, & ipse exhibebit tibi antidotum Reconciliationis.* Item in Psal. 66. ait: *Tristis esto antequàm confitearis, confessus exulta, jam sanaberis. Non confitentis conscientia saniem collegerat, &c. Exeat in Confessione & defluat omnis Sanies, &c.*

Docet Origenes Hom. 2. in Levit. dicens: *Est adhuc licet dura & laboriosa per Pœnitentiam remissio peccatorum,*

cùm non erubuerit peccator Sacerdoti Domini indicare peccatum suum.

Idem Hom. 3. in Levit. ait : *omni genere pronuncianda sunt & in publicum proferenda cuncta quæ egimus, si quid in occulto gerimus, si quid in Sermone vel etiam intra cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est proferri: Si ergo in vita nostri accusatores simus, nequitiam Diaboli effugimus.*

Docet Cyprianus Serm. 5. de lapsis sic : *Apud Sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentes exhomologesim conscientiæ faciunt, animi pondus exponunt, Salutarem medelam parvis licet & modicis vulneribus exquirunt.*

Docet Tertullianus lib. ultimo : *Gehennam in corde considera, quam tibi exhomologesis extingvit.*

Docet Hieronymus in c. 16. Matt. *Alligat vel solvit Episcopus vel Presbyter, cùm peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, qui solvendus.*

Do-

Docet Basilius reg. 228. *Necessario peccata his aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei.*

Docet Lactantius lib. ultimo: *Singuli quique cœtus hæreticorum se potissimum Christianos & suam esse Ecclesiam Catholicam putant; Sciendum autem est, illam veram, in qua est Confessio & Pænitentia, quæ peccata & vulnera salubiter curat.*

IV.

Conferuntur Patrum testimonia cum doctrina Catholica.

DE CULTU SANCTORUM, DE IMAGINIBUS, AC RELIQUIIS.

1. Docent Catholici Sanctos esse venerandos:

Docet & Augustinus in Psal. 96. dicens de Angelis: *Utinam & vos, illos colere velletis!*

Idem Serm. 26. ait: *Quisquis honorat Martyres, honorat & Christum: & qui spernit Sanctos, spernit & Christum.* Quem textum habet & Ambrosius Serm. 6.

Idem Serm. 25. de Sanctis ait: *Beatissimum Petrum Piscatorem modò genibus provolutis adorat gentium multitudo credentium.*

Docet Chrysostomus de SS. Juventio & Maximo: *Sanctos colitis eâdem alacritate omnes.*

Docet Hieronymus Ep. ad Riparium: *Honoramus Servos, ut honor Servorum redundet ad Dominum, qui ait: Qui vos suscipit, me suscipit.*

Docet Origenes Hom. 3. in diversa: *Sanctorum memoria semper, ut dignum est, in Ecclesia celebratur.*

Docet Basilius *Orat. in S. Mamantem.* Cyprianus *lib.* 4. *Epist.* 6. Cyrillus Alexandr. *lib.* 6. *in Julianum.* Justinus Martyr, &c.

2. Do-

2. Docent Catholici Sanctorum Reliquias esse venerandas:

DOcet & Augustinus Ep. 103. dicens: *Portant reliquias Beati Stephani Martyris, quas non ignorat Sanctitas vestra, quàm convenienter honorare debeatis.*

Docet Ambrosius Serm. 93. *Si dicas mihi, Quid honoras in Carne jam resoluta? Honoro in carne Martyris exceptas pro Christo cicatrices, honoro per Confessionem Domini sacratos cineres, honoro in cineribus semina æternitatis, honoro Corpus, quod mihi ostendit Dominum diligere, Cur autem non honorent Corpus illud & homines, quod reverentur & dæmones?*

Docet Basilius in Psal. 115. *Pretiosæ sunt Reliquiæ Sanctorum ejus.*

Docet Eusebius Emissenus de S. Blandina: *Ubi sunt qui venerationem Sanctis Martyrum corporibus negant?*

Do-

Docet Hieronymus Epist. 53. ad Riparium dicens: *Honoramus autem reliquias Martyrum, ut eum, cujus sunt Martyres, honoremus: honoramus Servos, &c.* ut suprà retuli.

Docet Gregorius Nyssenus *Orat. in Theodorum Mart.* Chrysostomus *de SS. Juventutio & Maximo.*

Docet Gregorius Nazianz. de S. Cypriano dicens: *Omnia potest pulvis Cypriani cum fide, &c.*

3. Docent Catholici, Sanctorum Imagines retinendas & venerandas esse:

DOcet & Augustinus lib. 2. de Visitat. infirmorum dicens: *Venerabile Crucis monimentum & nos omni veneratione dignissimum fatemur, & ad recordationẽ Crucifixi nostri veneramur. Adjicitur enim super Crucem quædam hominis inibi patientis Imago, per quod saluti-*

lutifera Jesu Christi nobis renovatur Passio. Hanc complectere humiliter, venerare suppliciter, &c.

Idem lib. 1. de consensu Evangel. *Memoras Imagines Christi inter Petrum & Paulum depicti.*

Docet Basilius in Julianum: *Historias Imaginum illorum honoro & palàm adoro: hoc enim traditum ab Apostolis non est prohibendum.*

Docet Chrysostomus in Liturgia: *Sacerdos egreditur portans Evangelium præcedente ministro cum lucerna, con[ve]rsus ad Christi imaginem inflexo capite.*

Et Serm. de utriusq; legislatore ait: *Picturam dilexi plenam pietatis.*

Docet Hieronymus de obitu Paulæ: *Prostrata ante Crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat.*

Docet Epiphanius Epist. ad. Joannem Hierosolym. *Inveni velum pendens in funibus Ecclesiæ depictum, & Imagi-*

imaginem quasi Christi vel sancti cujusdam.

Docet Ambrosius Orat. in Theodorum: *Sapienter egit Helena, quæ crucem in capite Regum levavit, ut Crux Christi in Regibus adoretur.*

Idem Serm. 1. in Psal. 118. ait: *Qui imaginem coronat Imperatoris, illum honorat, cujus imaginem coronat: & qui statuam contempserit Imperatoris, utriq; videtur injurius.*

Docet Gregorius Nyssenus Orat. in Theodorum Martyrem: *Pictor induxit flores & fortia facta Martyris, cruciatus, & tanquam pratum amænum ornavit templum. Solet enim etiam pictura tacens in pariete loqui, maximeq; prodesse.*

4. Docent Catholici de Sanctorum Invocationem & Intercessione, eosq; nostras Orationes agnoscere:

Do-

Docet & Augustinus lib. de Viduis: *Obsecrandi sunt Angeli, Martyres obsecrandi: Possunt rogare pro peccatis nostris, qui sua laverunt: non erubescamus eos intercessores adhibere.*

Idem lib. 22. Civit. c. 29. ait: *Si Elizæus absens corpore puerum suum vidit accipientem munera; quantò magis Sancti videbunt omnia, unde sunt corpore absentes?*

Et in Psal. 85. ait: *Omnes Martyres qui in Christo sunt, interpellant pro nobis: non transeunt interpellationes eorum, nisi cùm transierit gemitus noster.*

Docet & Origenes in Thren: *Incipiam me prosternere & deprecari Universos Sanctos, ut mihi succurrant. O Sancti Dei vos lacrymis deprecor ut procidatis misericordiis pro me misero.*

Idem Hom. 3. in Cant. ait: *Omnes Sancti qui de hac vita decesserunt, si dicantur eos qui in hoc mundo sunt, juvare suis precibus, non est inconveniens;*

Scriptum est enim in Machabæorum libris, Hic est Jeremias qui semper orat pro populo.

Docet Gregorius Nazianz. Orat. in S. Cyprianum dicens: *Tu verò nos ab alto propitius respice, & Sanctissimæ Trinitatis, cui nunc adstas, splendorem pro nobis gratificare.*

Docet Hieronymus in Epitaphio Paulæ: *O Paula, cultoris tui ultimam Senectutem juva: Fides tua & opera Christo te sociant; præsens, quod postulas, faciliùs impetrabis.*

Idem contra Vigilantium c. 3. ait: *Sancti Apostoli & Martyres adhuc in Corpore constituti possunt orare pro cæteris; quantò magis post coronas? an, dum cum Christo esse cæperunt, minùs valebunt?*

Docet Gregorius M. lib. 4. Dial. 33. *Quid est quod nesciant, qui videntem omnia sciunt?*

Docet Prosper lib. 10. de vita contempl.

templ. c. 4. *Ibi ita patebunt singulis singulorum mentes, sicut corporalibus oculis subjacent facies corporales, nec latebit perfectè beatos aliquid secretorum, qui, quod est præstantius, ipsum visuri sunt Deum.*

Docent Similia Gregorius Nyssen. *de Theodoro Martyre, & Orat. de S. Meletio.* Ephrem *Serm. de SS. Martyrib.* Chrysostomus *Hom.* 126. *in* 2. *Corinth.* Cyprianus *lib.* 1. *Epist.* 1. *ad Cornelium.*

VI.

Conferuntur testimonia Patrum cum doctrina Catholica.

DE FIDE ET OPERIBUS, DE LIBERO ARBITRIO, DE INDULGENTIIS Et CÆLIBATU.

1. Docent Catholici præter fidem requiri ad Salutem bona opera;

DOcet & Augustinus lib. 15. de Trinit. *Fides* (inquit) *sine charitate potest quidem esse, sed non prodesse.*

Idem de Fide & operib. c. 14. ait: *Excutiendum est à cordibus, ne malâ securitate salutem suam perdant, si ad eam obtinendam, solam fidem sufficere putaverint.*

Docet Ambrosius in c. 4. ad Hebr. *Non sufficit fides, sed debet addi & vitâ fidei condigna: Opus est quippe omni volenti cælum possidere, fidem operibus bonis ornare.*

Docet Chrysostomus Hom. 30. in illud Joan. *Qui credit in filium Dei, habet vitam æternam: Numquid ergo* (inquit) *satis est ad vitam æternam credere? minimè: non enim omnis qui dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris qui in cælis est. Nam si rectè credideris, non rectè autem vixeris, nulla tibi ad salutem utilitas. Nolimus nobis ad salutem*

tem

tem hoc satis arbitrari, opus est vitæ morumq; puritate.

Idem Hom. 1. in 1. ad Timoth. *Non fide solum opus est, sed charitate.*

Docet Clemens Alex. lib. 5. Strom. *Quando audierimus, fides tua te salvum fecit, non accipimus absolutè eos salvos futuros, qui quomodocunq; crediderint, nisi facta quoq; fuerint consecuta.*

Docet Gregorius Nazianz. Orat. in Sacrum Lavacrum. *Operare bonum super hoc doctrinarum fundemento, quia fides sine operibus mortua est, quemadmodum & opera sine fide.*

2. Docent Catholici Legem Dei esse possibilem:

Docet Augustinus lib. de Nat. & Grat. c. 43. *Non igitur Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis.*

Docet Hieronymus lib. 3. contra

Pelagian: DEUS *possibilia mandavit: hoc nulli dubium est.*

Docet Basilius Orat. in illud, Attende tibi: *Impium est dicere, impossibilia esse Spiritûs præcepta.*

Docet Hilarius in Psal. 118. *Non difficile, si voluntas adsit, præceptis Dei obtemperare.*

Docet Origenes Homil. in Josue: *Ubi mulieribus eos comparat, qui dicunt, Mandata Dei servare se non posse.*

Docet Chrysostomus Hom. 8. de Pænit. *Haud mandat Deus impossibilia: multi & ipsa superant præcepta, &c.*

9. Docent Catholici Opera justorum mereri vitam æternam & gloriam Cælestem ut mercedem:

DOcet & Augustinus Ep. 105. ad Sixtum: *Ipsa vita æterna præcedentibus meritis redditur; tamen quia*

eadem

eadem merita quibus redditur in nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur, non ideò quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur.

Idem lib. de Perfectione Justitiæ ait: *Post hanc vitam merces perficiens redditur, sed eis tantum, à quibus in hac vita mercedis meritum comparatur.*

Docet Cyprianus lib. de Unit. Ecclesiæ: *Monitis Dei obtemperandum, ut accipiant opera nostra mercedem.*

Docet Clem. Alex. in Parænet: *Licet vobis, si velitis, pretiosissimam salutem emere propriò thesauro, charitate & fide vitæ.*

Docet Hilarius can. 6. in Matth. *De nostro igitur est beata illa vita promerenda, præstandumq́ est aliquid ex proprio, ut bonum velimus, malum autem vitemus, totoq́ affectu præceptis cælestibus obtemperemus.*

Docet Basilius *Serm. de Ascensi.* I-

tem Cyrillus Hierosol. Catech. 1. *Si multum operaberis, multa te merces manet.* Hieronymus *l.* 2. *contra Jovinian. c.* 15. Tertull. in Scorpia. c. 6. *Quomodo, inquit, multæ mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum?*

4. Docent Catholici Jejuniorum usum esse laudabilem & antiquum:

DOcet Augustinus Ep. 86. ad Casulanum: *Ego* (inquit) *in Evangeliis & Apostolicis literis video præceptum esse Jejunium.*

Idem Ep. 119. c. 15. ait: *Quadragesima jejuniorum habet auctoritatem in veterib. libris & in Evangelio.*

Docet Ambrosius Serm. 8. in Ps. 118. *Indictum est Jejunium? cave, negligas, etsi te fames quotidianum cogit ad prandium, tamen cælesti te reservato convivio.*

Et

Et Serm. 34. *Quisquis Christianus jejunando non impleverit Quadragesimam, prævaricationis reus tenebitur.*

Docet Tertullianus lib. de Jejunio: *Benè quòd & Episcopi universæ plebi jejunia mandare assolent.*

Docet Basilius Orat. 2. de Jejunio: *Angeli sunt, qui per singulas Ecclesias describunt jejunantes; vide ne propter pravam eduliorum voluptatem ab Angelo in numerum non adscribaris.*

Docet Hieronymus Ep: ad Marcellam: *Nos unam Quadragesimam secundùm traditionem Apostolorum tempore nobis congruo jejunamus: non quòd & per totum annum exceptâ Pentecoste jejunare non liceat, sed quòd aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre.*

Docet Cyprianus Serm. de lapsis: *Iram & offensam ejus jejuniis & fletibus, ut monet ipse, placemus.*

Docet Chrysostomus *Hom. 6. ad populum, &c.*

5. Do-

5. Docent Catholici, laudabilem esse Continentiam & cælibatum approbant:

DOcet & approbat Augustinus lib. de Bono Viduitatis c. 15. dicens: *Continentiam conjugio præponimus, Sanctam verò Virginitatem, etiam continentiæ viduali.*

Item de bono Conjugali c. 8. ait: *Continentes sciant sibi mercedis ampliùs deberi, quàm conjugalis castitas possit.*

Idem lib. de adult. Conjug. ait: *Quod cuiquam, antequam vovisset, licebat; cùm id se nunquam facturum voverit, non licebit; Si tamen id voverit quod vovendum fuit, sicut est, perpetua Virginitas.* Et Serm. 37. ad fratres in Eremo: *Si conjugium Sacerdot. prohibetur quanto magis fornicatio, &c.*

Docet Ambrosius lib. 1. de Virginibus: *De Virginitate aliquid dicamus,*

mus, quæ est Principalis Virtus nubes, Angelos, sidera ipsa transgrediens. Non meum illud est, Qui non nubunt neque nubentur, erunt sicut Angeli Dei in cælo.

Idem lib. 3. de Virginib. Alexandrinæ, & Africaniæ Ecclesiæ ait: *Pauciores hîc homines prodeunt, quàm illic Virgines consecrantur.* Idem ait: *Cui licet maritum eligere, cur non licet Deum præferre?*

Docet Epiphanius hær. 48. *Gaudet Deus his, qui Virginitatem & continentiam exercere diligunt.*

Idem hær. 61. ait: *Dixerunt Sancti Dei Apostoli peccatum esse, post decretam virginitatem ad nuptias converti.* Væ hîc Luthero!

Docet Origenes Hom. 23. in Numer. *Videtur mihi illius solius indesinens esse Sacrificium, qui se indesinenti & perpetuæ devoverit continentiæ.* Plures apud Gaulterium vide.

6. Do-

6. Docent Catholici Deum non esse authorem peccati.

DOcet Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis. c. 17. *Nullius culpæ humanæ in Deum referas causam.*

Et lib. 1. de Anima, c. 14. ait: *Præscientia Dei peccatores prænoscit, non facit.*

Docet Basilius Homil. quòd Deus non sit autor malorum, ubi ait: *Eadem est dementia negare Deum, & peccati authorem asserere.* Notet id Calvinus.

Idem Hom. 2. de opere 6. dierum: *A Deo malum profluxisse, dicere peccatum est.*

Docet Chrysostomus Hom. 23. in Act. Apost. *Nullus dicat, Deus nobis Author malorum est; satius fuerit sexcenties desodi, quàm Deum audire talia per nos.*

Docet Tertullianus lib. contra Her-

Hermogen. *Mali non est auctor, quia non effector: certè permissor, quia dominator.*

Docet Prosper Respons. 18. ad c. 14. ad Gal. *Bonorum Deus auctor est non malorum, ut est infidelitas.*

Docet Gregorius Magnus lib. 29. Moral. c. 21. *Dominus auctor est naturæ non culpæ.*

Docet Gregorius Nyssen. Hom. 2. in Eccl. *Deus qui naturâ est bonitas, bona quoque præbet omninò: quod sua naturâ bonum est, ex suis thesauris malum non produxerit, &c.*

7. Docent Catholici Liberum Hominis arbitrium.

DOcet Augustinus lib. de quantit. animæ c. 36. *Datur & animæ liberum arbitrium, quod qui labefactare nugatoriis rationibus conantur, usque adeò cæci sunt, &c.*

Idem Epist. 46. ait: *Credite Divinis eloquiis, quia liberum est hominis arbitrium.*

Idem in Psal. 7. ait: *Diabolo non consentire in nostra voluntate voluit ille, qui nos fecit.*

Docet Athanasius Orat. contra Idol. *Anima libera est & sui arbitrii: potest enim ut ad bona sese inclinare, ita bono quoque adversari.*

Docet Hieronymus Ep. ad Damasum: *Dedit eis liberum arbitrium, dedit mentis propriæ libertatem, ut viveret quisque non ex imperiis* DEI, *sed ex obsequio suo; non ex necessitate, sed voluntate.*

Docet Hilarius in Psal. 2. *Unicuique nostrûm libertatem vitæ permisit, non necessitatem in alterutrum affingens.*

Docet Origenes in c. 13. Matth. *Omnes Scripturæ declarant esse liberum arbitrium, dum & accusant eos, qui delinquunt;*

linquunt: & probant eos qui rectè faciunt.

Docet Tertullianus lib. 2. contra Marcionem. *Liberum & sui arbitrii & potestatis suæ invenio hominem constitutum.* Docet Chrysostomus *Hom.* 22. *in Genesim.* Docet Gregorius Nyssenus *l.* 7. *de Philosop. c.* 7. Gregorius Magnus *l.* 33. *Moral. c.* 26.

8. Docent Catholici, Purgatorium dari, & Oratorionem pro mortuis.

DOcet & Augustinus Hom. 16. ex Homiliis 50. *Qui temporalibus pœnis digna gesserint, per ignem quendam Purgatorium transibunt, de quo Apostolus, Salvus erit, sic tamen quasi per ignem.*

Docet Basilius Hom. 8. in Exod. *Si per Confessionem detexerimus peccatum, jam succrescens gramen arefecimus, dignum quod depascat ac devoret Purgatorius ignis.*

Docet Gregorius Nysſenus Oratione pro mortuis : *Non poterit* (inquit) *è corpore egresſus, Divinitatis particeps fieri, niſi maculas animæ immiſtas Purgatorius ignis abſtulerit.*

Docet Theodoretus in Scholiis Græcorum in 1. ad Cor. 3. *Hunc ipſum ignem Purgatorium credimus, in quo animæ defunctorum probantur & repurgantur, ſicut aurum in conflatorio.*

Docet Chryſoſtomus Hom. 69. ad Pop. *Non temerè ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, ut in tremendis myſteriis Defunctorum agatur commemoratio: Sciunt enim illis inde contingere lucrum.* Et Hom. 41. *Non fatigemur mortuis auxilium ferre, preces pro illis offerendo.*

Docet idem Auguſtinus libro de Cura pro mortuis habenda cap. 1. dicens: *In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis Sacrificium. Sed etſi nusquam in Scripturis veteribus legeretur, non parva eſt univerſæ Eccleſiæ,*

que

quæ in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis quæ Domino Deo ad altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.

Docet Cyrillus Hierosol. Catech. 5. *Pro omnibus oramus, qui inter nos vitâ functi sunt.*

Docet Dionysius Areop. c. 7. Hierar. par. 3. *Ascendens Antistes precem suam super mortuum peragit precaturque Divinam Clementiam, ut cuncta dimittat defuncto per infirmitatem humanam admissa peccata.*

Docet Clemens Romanus, qui Const. 8. c. 47. *Longam Orationem describit pro mortuis fieri solitam.*

Docet Hieronymus in caput II. Proverb. esse aliquos. *Qui de levioribus peccatis, cum quibus obligati defuncti sunt, post mortem possunt absolvi vel pœnis castigari, vel suorũ precibus ac eleëmosynis, Missarumque celebrationibus juvari.*

9. Docent Catholici, De Indulgentiarum usu & potestate in Ecclesia:

DOcet id omnis retro antiquitas, ita ut etiam Kemnitius *in 4. Par. Exam. pag.* 329. (etsi inconstanter, ut patet *pag.* 333.) fateatur nullam primam Origenem indulgentiarum in historiis inveniri, vel quo tempore primum in Ecclesia vel quo Concilio aut Papâ inductæ fuerint:

At Augustinus lib. 4. contra Donatist. c. 24. ait: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolicâ auctoritate traditum rectè creditur.*

Idem Augustinus Ep. 118. ait: *Disputare contra id, quod universa sequitur Ecclesia (ab immemorabili tempore,) insolentissimæ insaniæ est.*

Do-

Docent idem Patres Concilii Nicæni *Anno Domini* 327. *celebrati*, qui *Can.* 11. vel aliâ editione *Can.* 12. declarant, ut *qui seriò pænitentiam agunt, possint ab Episcopis indulgentiam obtinere*, id est, *minuere de* 10. *annis*, *&c.* Ex quo patet fuisse extra Sacramentum. Pœnitentiæ remissas pœnitentias alioquin justas & ad satisfaciendum Deo pro pœna debita institutas, quas passim veteres concedunt, ubi de Satisfactionis operibus in pœnitentia necessariis loquuntur, ut Augustinus Hom. 50. de Pœnitentia citatus à Beda, ubi ait: *Pænitentia majorem in se severitatem debet exercere, ut cum à seipso quis judicatur, non judicetur à Deo.* Item Hieronymus *in caput* 1. *Joel & in* 9. *Amos.* Origenes *Hom.* 3. *in c.* 3. *Judicum.* Chrysostomus *in c.* 6. *ad Hebr.* Basilius *can.* 73. Tertullianus *lib. de Pænitentia* & *in Apologetico* ubi in casti-

stigationibus illis & pœnitentiis dicit fuisse divinam censuram.

Docent idem quod Nicænum, Patres Concilii Ancyrani celebrati *Anno Domini* 300. *can.* 5. *&* PP. Concilii Laodiceni *paulò pòst celebrati.* Huc potest referri & Cyprianus, qui Serm. de lapsis ait: *Pænitenti roganti, operanti potest clementer ignoscere, potest in acceptum referre, quidquid & pro talibus petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes.*

Semper autem Universam Ecclesiam, Indulgentiarum usum retinuisse, patet:

I.

NAm *Silvester*, qui ante annos plusquam mille trecenos præfuit, Romæ Sacellum Sanctæ Crucis in Hierusalem dictum à se consecratum, multis Sanctorum Reliquiis ornavit, & multiplicem peccatorum veni-

veniam visitantibus indulsit, ut testatur Valentia *to.* 4. *Disp.* 7. *q.* 20. *punct.* 2.

2. Ante annos plusquàm mille *Gregorius Magnus* Indulgentias (quarum nomen & usus etiam tunc notissimus) diebus stationum concessit, & refert *D. Thom. in* 4. *Sent. d.* 20. *q.* 1. *a.* 13. & ante eum Guilelmus Altisiodorensis *lib.* 4. *Summæ Theol. c. de Relaxationibus.* Vel certè redegit in ordinem Stationes cum additis Indulgentiis, ut testatur Onuphrius Panvinus *tract. de Stationibus.*

3. Porro à temporibus Gregorii Magni tantò celebrior Indulgentiarum usus sempèr extitit. *Nam Leo III.* (qui præfuit Ecclesiæ Anno Domini 795.) Indulgentiam concessit in templo S. MARIÆ Aquisgrani, ut testatur S. Ludgerus *Ep. ad Riffridum Traject. Episc.*

Item Sergius III. (qui rexit Ecclesiam

ſiam Anno 844.) trium annorum & trium Quadragenarum Indulgentiam conceſſit Romæ in feſtivitatibus anniverſariis S. Martini, ut in antiquo Marmore Altaris Maximi eſt inſculptum.

Item Urbanus II. qui præfuit Anno 1088. ad bellum Hieroſolymitanum proficiſcentibus indulgentiam conceſſit his verbis : *De Miſericordia Dei & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate confiſi, ipſis injunctas pro delictis ſuis pœnitentias relaxamus.* Quod paſſim Doctores referunt feciſſe *in Synodo Claromontana.*

Item Paſchalis II. qui præfuit Anno 1100. indulgentiam 40. dierum viſitantibus Apoſtolurum limina conceſſit, teſte Abbate Urſpergenſi *in Chronicis.*

Item Alexander III. qui præfuit Anno 1160. mentionem facit Indulgenti-

gentiarum concedit ſolitarum in dedicationibus Eccleſiarum, ut patet *cap. Quod autem.*

Item Innocentius III. in Concilio Laterrnenſi, nemine tot Patrum refragante conceſſit indulgentiam adjuvantib. expeditionem Hieroſolymitanam: præfuit Anno 1215.

Item Honorius III. qui præfuit Anno 1216. indulgentiam ab ipſo Chriſto (ut refertur in vita S. Franciſci) in Eccleſia S. MARIÆ de Portiuncula Aſſiſiis S. Franciſco petente conceſſam ſuá auctoritate ſanxit & confirmavit.

Item Urbanus IV. qui geſſit Pontificatum Anno 1261. iis, qui feſtum Corporis Chriſti piè celebrarent; ut patet in Clementina Unica *de reliqu. & venerat. Sanctorum.*

Item Nicolaus IV. qui ſedit Anno 1288. *Et Bonifacius* VIII. qui Anno 1294. *Adhæc S. Bernardus* prædicavit

in

in multis locis Indulgentias ab *Eugenio* III. concessas, qui præfuit Anno 1145.

Item Martinus V. in Concilio Constantiensi Anno Domini 1417.

10. Docet Ecclesia Catholica [quod obiter addo contra Græcorum errorem hæreticum] Processionem Spiritûs Sancti etiam à Filio:

DOcent idem antiquissimi tum Græci Patres, tum Latini.

Ex Græcis.

Docet id Athanasius in Symbolo dicens: *Spiritus Sanctus à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Quæ Verba, *Et Filio*, habentur etiam in Symbolis ejus Græcis, & Symbolum hoc esse Athanasii testatur Gregorius Nazianzenus, *in Oratione de laudibus Athanasii.*

præ-

[redacted] Præterea hæc doctrina traditur ab eodem Sermone 4. contra Arrianos ante medium, ubi ait: *Non enim tria Principia aut tres Patres introducimus, cùm non tres soles ad comparationem adducamus, sed unicum Solem, ejusqué splendorem, & ex utroque lucem procedentem.*

Docet Basilius lib. 3. contra Eunomium, ubi ait circa Principium: *Spiritum ordine secundum à Filio, cùm ab ipso esse habeat, & omnino ab illa causa dependeat.*

Docet Gregorius Nyssenus Homil. 4. in Orat. Dominicam dicens: *Spiritus Sanctus & ex Patre dicitur, & ex Filio præterea esse ostenditur.*

Docet Chrysostomus tom 5. Hom. 1. de Symb. *Iste*, inquit, *est Spiritus de Patre & Filio procedens, qui dividit propria dona singulis prout vult.*

Et Homil. 2. ait: *Spiritum Sanctum*

dicimus Patri & Filio coæqualem, & procedentem de Patre & Filio.

Docet Cyrillus Alexandr. lib. 13. thesauri cap. 2. *Et ideò Spiritum Sanctum Dominum similiter appellat, sicut ex ipso Filio & in ipso naturaliter existentem.* Hæc ille.

Docet Epiphanius hær. 69. pag. 219. ubi ait: *Unus est Spiritus Dei, Spiritus ex Patre procedens, & de Filio accipiens.* Et pag. 229. ait: *Quo ostendat, fontem ex fonte, ex Patre & Unigenito Spiritum Sanctum.*

Ex Latinis Patribus.

Idem clarè profitentur. *Cyprianus* Serm. de adventu Spiritûs Sancti. *Hilarius* l. 2. de Trinit. *Augustinus* tract. 99. in Joannem. *Prosper* lib. 1. de vita contemplativa. *Leo* Epist ad Turbium 91, *aliàs* 93. cap. 1. *Gregorius Magnus* lib. 2. Dialog. cap. ult. &c.

Hacte-

Hactenus
Collata Patrum primævæ Ecclesiæ testimonia clarè ostendunt modernam fidem Catholicam cum primæva consentire:

Infero:

Ergo falsò asserunt hæresiarchæ, illam Ecclesiam defecisse. In qua fallacia & mendacio cùm suas fundent hæreses; patet, quàm graviter suis sequacibus illuserint, & *Fascinum* iniecerint, quem ego hactenus amoveve conatus sum: Tu, cui salus animæ placet, confer hæc Patrum testimonia, & alia in hoc libello posita sedulò expende; dices, credo, & tu illa *Iosue* 9. 22. Verba modicè & ad miserabiliorem sensum accommodata:

Luthere, Zuingli, Calvine, &c.

Decepisti me, & deceptus sum:

Erravimus à Via Veritatis.

Sap. 5. 6.



§. VII.

CHRONOLOGIA,

Quâ ostenditur, quando quædam Sectariorum Regiones ac Provinciæ fidem Catholicam primùm receperint, quàm multis Sæculis eandem retinuerint, quomodo ab eadem defecerint.

Defecit Anglia.

QUæ opera Gregorii Papæ per Augustinum Abbatem & Episcopum Fidem Catholicam suscepit Anno Domini 597. sub Edilberto Rege Angliæ, *teste Bedâ lib. 1. c. 25. 26. & Gregorio 7. Epist. 30.*

Imò adhuc Anno Domini 185. Lucius Britaniæ Rex petiit ab Eleutherio Papa sacros fidei ministros permotus miraculis Christianorum; missiqué Fugatius & Damianus tum Regem cum uxore, tum populum Christianâ religione imbutum sacris mysteriis initiârunt,

ut

ut testatur Beda rerum Anglic. lib. 1. c. 4. Ado in Chronic.

At verò miré in Anglia propagata fides An. Domini 625. 626. 634. 635. 640. 655. floruitq; admodum sub Theodoro Tharsensi Archiepiscopo Cantuariæ sub Annum Domini 668.

Porro in Britannia, Ina Rex Occidentalium Saxonum regnum reliquit Ethelredo cognato, ipse Romam profectus, Scholam ibi Anglorum ædificavit, ut esset Seminarium ad Anglos in virtute ac fidei doctrina erudiendos. *Ita habet Matth. VVestmonast. ad Annum Domini* 727.

Eluxit & pietas Anglicana erga Sanctos & Sedem Apostolicam dum Angliæ Reges, eorumqué populus ad limina Apostolorum Romam peregrinati. Uti fecit S. Ceadualla Rex Britaniæ (ob devictos Saxones, partemqué regni illis ademptam dictus etiam Rex Saxonum)

qui Anno Domini 689. Romam petiit ſub Sergio Pontifice, ſepultus deinde in Eccleſia S. Petri Romæ, *teſte Bedâ lib. 5. c. 7. & Surio 20. Julii.* Jam verò Edvardus II. Rex Angliæ (qui uxorem Virginem intactam reliquit) legationem miſit ad Nicolaum Pontificem Romanum pro abſolutione à voto eundi Romam nomine pœnitentiæ & ad obtinendam remisſionem peccatorum.

Nec Sancti defuêre Angliæ, dum in unitate Romanæ fidei manſit. Nam & Reges & Epiſcopos habuit magnæ Sanctitatis. Præter S. Ceduallam proximè memoratum, Eduardus primus Anglorum Rex, novercæ inſidiis extinctus claruit miraculis ſub Annum Domini 978. Eduardus II. inter Sanctos relatus & miraculis illuſtris Anno Domini 1066. S. Dunſtanus fuit Archiepiſcopus Cantuarienſis, item S. Anſel-

ſelmus, S. Thomas Martyr, item Cantuarienſis. Præter hos Angliæ Sancti ſunt, S. Ecbertus, S. Ansgarius, S. Sigfridus, S. David Abbas. En ut Anglia Sanctorum fuit fœcunda!

De Londinenſi Epiſcopatu (qui Anno Domini 604. inſtitutus eſt) illud ſingulare eſt *apud Baronium* ſub Anno Dom. 610. quòd Eccleſia Londinenſis in honorem S. Petri Principis Apoſtolorum ædificata, ab eodem Apoſtolo ſit ſolenniter conſecrata.

Denique fides Catholica in Angliæ regno duravit ferme usque ad Annum Domini 1534. nam cùm Henricus VIII. Rex Angliæ Anno 1527. Catharinam uxorem legitimam contra fas & jus repudiâſſet, duxiſſet verò Annam Boleniam, quibus nuptiis Romanus Pontifex cum Theologis Catholicis contradixit; Idem Henricus Romani Pontificis nomen & memoriam tolli juſſit, ac ſeipſum

caput Ecclesiæ ausus est nominare Anno 1534. & Ecclesiasticos exilio mulctatos bonis exuere, *teste Polydoro lib. 27. Leslæo in Histor. Scot. Genebrardo.* Et quamvis idem Henricus VIII. postea Anno Domini 1539. in Ordinum regni Conventu pleraque veritati consona de Eucharistia, de Pœnitentiæ Sacramento, de votis & cælibatu decreta tulerit; tamen hæc antiquata post annos octo ab Edoardo ejus filio, *teste Sleidano, Surio, Genebrardo.*

Ad extremum cùm Maria Regina Angliæ Catholica magnis virtutibus ornata, sub qua iterum vires Catholicismus resumpserat, obiisset; secuta est religionis eversio, substitutâ in regnum Elizabethâ spuriâ Henrici octavi prole ex Anna Bolenia.

En ut defecit Anglia à fide Romana, quam coluit ab annis ferè mille! & quam ob causam? Henrici libido, sacra omnia profanavit, & cum fide antiquitus retenta

ta fecit divortium ! Speramus tamen in Domino, quòd fides illa antiqua iterum in illustri hoc regno reflorescet quod etiam cuidam viro Sancto Deus demonstravit, immersam velut in mari Angliam emergentem illi repræsentans, idqvè de reditura illuc fide Catholica eidem exponens; id quod à viro fide digno accepi.

Angliæ adjunge Scotiam: Defecit & hæc;

QUæ tamen fidem Catholicam recepit Anno Domini 429. sub Victore Papa, deinde tum à Palladio Cœlestini Papæ Archidiacono latiùs propagata Anno Domini 431. *teste Spondano in Epitome Baronii*; tum Anno 580. sub Aidano Scotiæ Rege amplius sumpsit incrementum.

Quanta autem Scotorum unio fuerit cum Romana Ecclesia, patet inde, quod Anno Domini 1192. petente Scotiæ Rege VVilhelmo, quædam privilegia & libertates conces-

sæ

sæ ac confirmatæ fuerint Scotis à Romano Pontifice, inter quas fuit illa, ut Ecclesia Scotica non subesset Anglicanæ aut alii, sed tantùm soli Romanæ Ecclesiæ, *ut testatur Baronius sub hoc Anno.* Item in publicis Scotiæ comitiis firmata est avita erga Romanum Pontificem observantia *teste Gordono in opere Chronologico*: Et *Bæsleo in Jacobo quinto*, quod contigit Anno Domini 1533. & tunc institutus est Senatus Edinburgensis, quem mox Romanus Pontifex suâ auctoritate firmavit. Omitto novos Episcopatus in Scotia institutos Anno Domini 1139. tanta fuit pietas & religio in Scotia!

Et cultus Sanctorum in Scotis enituit, quamdiu à primæva fide non defecerunt. Nam cum Anno Domini 818. de Nortumbris victoriam retulissent, ostensâ sibi divinitus Cruce S. Andreæ; hunc deinceps Apostolum

ſtolum ut Patronum coluêre, & Cruce uſi ſunt pro inſigni, *teſte Lesłæo lib. 5. in Achaico.*

Cum ergo ſic antiquitus floreret Catholica religio in Scotia; & ecce (*ut teſtatur Gordonus in opere Chronologico*) Anno Domini 1558. ibidem Paulus Meſſenius Piſtor, & alius Sartor apoſtata præcones Calvinianæ novitatis publicè & privatim diſſeminare ſua cæperunt, breviqué effecerunt, ut nec Principum auctoritas, nec religionis veræ Majeſtas integra eſſet apud Scotos. Quod malum magis crevit circa Annum Domini 1570. quando Jacobus Nothus Moraviæ Comes religionis Orthodoxæ impugnator regno pulſæ Reginæ Dominium obtinuit. *Gordon.*

En ut Scotia plus quàm mille & centum annis fidem Romano-Catholicam retinuit, & tandem prædicti piſtoris Sartorisquè

risquè prædicatione Antiquæ fidei valedixit!

Defecit Suecia.

QUæ pridem Romanæ fidei, esse cæpit, diuqué in ea perstitit gloriosè.

Nam cùm inprimis Anno Domini 826. Ludovici Imperatoris operâ S. Ansgarius Anglus in Sueciam Daniamqué cum collega VVithmaro venisset, Rege Suecorum Biorne seu Berone, in civitate Birca multos ex ethnicismo ad Christum convertit, inter quos Regis præfectum Heringarium, qui ædem suam in Ecclesiam consecrari fecit, & miraculis claruit.

Quia verò Suecia post mortem S. Ansgarii ad cultum idolorum est relapsa, post annos centum & quadraginta Olavo Skotkonüng dicto Suecorum & Gottorum Rege S. An-

Sigifridus in Gothiam venit circa Annum Domini millesimum, ad cujus prædicationem Rex ipse & populus credidit, cùm etiam Regis Præfectus referret, quomodo in elevatione sacræ Hostiæ sacrificans idem Antistes visus est puellum elevâsse. Ita habent Suetici annales.

Secutus Sigfridum S. Æschyllus, à Rege Sueciæ Ingone in summa veneratione habitus, & Ecclesiæ Episcopus factus, quæ vocatur Nordkanscog ad cujus prædicationem multi fidem amplexi, rege ipso Ingone adjuvante.

Succesit Ericus Rex Sanctus Jaduardi filius, Ingonis gener, sub quo per Sanctum Henricum Upsalensem Præsulem Finnones seu Finlandia ad fidem conversa, quod etiam testatur Olaus *de rebus Gott. lib.* 1. *c.* 3.

Porro !etsi Anno Domini 410.

Gotthi adhuc ethnici, tamen eorum Rex Alaricus Romam invadens in gratiam Apostolorum eam delere noluit, sed tantùm spoliare; dicens se cum Romanis, non cum Sanctis bellum gerere; ideòque templa non spoliavit, sed urbem. Tanta Sanctorum reverentia vel in ethnicismo apud Gothos!

Produxit & Sanctos Suecia Catholica, inter quos S. Ericum Regem, S. Botuidum, S. Helenam VVestrogottam, quæ Anno Domini 1164. obiit miraculis clara: Item S. Birgittam cœlestibus revelationibus toto orbe clarissimam. Præterea Sanctæ Birgittæ filiam Catharinam Vastanensem, quæ Anno Domini 1381. illustris miraculis obiit, ante mortem à Rege & Proceribus Sueticis legatione functa Romam ad Sedem Apostolicam, ut Sanctæ Matris suæ Birgittæ inter Sanctos rela-

relationem impetraret. Ut est in vita ipsius.

Talis ergo & tam conspicua Sanctissimis Viris ac fœminis fuit Suecia per annos circiter septingentos Catholica, donec novissimè luem hæreticam temporibus Lutheri exortam hausit, & à primæva Majorum suorum fide tot prodigiis & tam prodigiosis Personis illustri defecit sub Gustavo, Anno Domini 1522. qui (teste Bernardo Vapovio, in Fragmento ad Cromerum) Catholicos Antistites primus Sueciâ expulit, ex quibns Joannes Lincopensis Episcopus solum vertens Gedani diu est moratus, Upsalensis verò Metropolita Gustavi impietatem detestatus Romam concessit.

Addo tamen quod Regnum Sueciæ etiam post hanc à fide defectionem, Catholicam stirpem in solio Suetico adorâvit, & in solium Catholicum Reges effuderit. Nam Sueciæ Regina Catharina Jagellonia Joannis Regis Sueciæ conjunx Catholica in solium Regni Poloniæ edidit Anno Domini 1573. Sigismundum ejus nominis tertiùm, cuius duo filii Vladislaus IV. & Joannes Casimirus illi in Regnum idem

Poloniæ ſucceſsêre ; uterq; hæreditarius Rex Sueciæ. Item vivit adhuc Sereniſſima Regina Sueciæ Chriſtina Catholica & hæreditario Regno relicto, Romæ domicilium fixit, cuius fidem amplexa eſt.

Defecit Dania.

Quæ Anno Domini 826. ad fidem converſa ſub Arialdo ſive Haroldo, qui cum ſua conjuge ac gente Catholicæ Eccleſiæ acceſſit prædicatione Ebboni Archiepiſcopi Rhemenſis, qui auctoritate Romani Pontificis Eugenii II. ex Conſilio Ludovici Imperatoris in Daniam pervenit. *Teſte Ayman. lib.* 4. *c.* 3.

Sanctus item Ansgarius illuc miſſus, qui Archiepiſcopus Aquilonarium regionum, & poſtea Hamburgenſis à Gregorio IV. conſtitutus eſt.

Porrò Anno Domini 1092. proprium Metropolitanum Dania recepit ab Urbano Papa, cùm antea ſubeſſet Hamburgenſi.

At

At Anno Domini 1062. regnabat in Dania Sueno Rex, ad quem Alexandri II. Papæ exſtat Epiſtola in Vaticano Codice, qui inſcribitur Cenſuum. Nam antè vectigalis fuit Dania Romanæ Eccleſiæ; de quo Adam *Scriptor ejus temporis, lib. 3. c. 10. apud Spondanum.*

Alius autem Sueno Daniæ Rex cognomento Magnus ſub Annum Domini 1077. egregium dedit publicæ pœnitentiæ Exemplum de homicidio in Eccleſia Patrato & ob id eum aditu Eccleſiæ prohibente S. VVilhelmo Epiſcopo Roskildenſi.

Eluxit in Dania obſervantia Sedis Apoſtolicæ. Nam Anno Domini 1029. Canutus Rex Daniæ miſit ad Gregorium VII. Papam legationem cum obedientia, ſignificans ſe cupere à Romana Eccleſia erudiri ac inſtrui, ad quem Gregorius plenas affectûs literas ſcripſit. Hic Rex eti-

am

am Martyrio coronatus Anno 1081. & precibus VValdemari Regis Daniæ ab Alexandro III. Papa in album SS. Martyrum est relatus.

Eluxit in Danis antiquitus & cultus Sanctorum. Nam Anno Domini 1028. Canutus Rex illorum cognomento Magnus ad limina Apostolorum peregrinatus, in reditu brachium Sancti Augustini centum talentis Papiæ comparavit.

Denique Dania ferme à septingentis annis Catholica ad Annum Domini 1522. quo Christiernus Rex ab Ecclesia defecit, postea tribus regnis ob crudelitatem exutus & perpetuis vinctus catenis. Ei successit Fridericus Dux Holsatiæ, & Lutheri (ut ait Bernardus Vapovius in fragmento ad Cromerum) Spurcitiam est complexus. Sic nova fides tunc cæpit & invaluit!

Defecit Saxonia.

IN qua Anno Domini 690. fidem prædicârunt duodecim Anglo-Saxo-

Saxones Presbyteri impulsu S. Ecberti Angli; inter quos fuit VVillebrordus, qui Romæ à Sergio Papa ad id licentiam & benedictionem postulavit. *Testatur Beda lib. 5. c. 10. Surius 1. Martij.*

Jam verò Anno Domini 711. Ecclesiæ Saxonicæ jaci fundamenta cœperunt per Sanctum Svvibertum Episcopum, qui ad Saxones venit cum signis & virtutibus, *teste Marcellino in rebus gestis ejusdem. Suriò 1. Martij.*

At verò plenè conversa est Saxonia Anno Domini 780. quo anno jacta etiam fundamenta Osnaburgensis Ecclesiæ in honorem S. Petri, *teste Crantzio Metrop. l. 1. c. 2.*

Sedi Apostolicæ constanter Saxonia adhæsit, & pro illa sese opposuit in Schismate Henriciano, Anno Domini 1076.

Et quia, *teste Urspergensi*, pro Ec-

clesiæ Romanæ defensione Schismaticis Imperatoribus restitit eadem Saxonia; transtulit deinde Deus imperium ad Saxones, eorum Duce primò regnum, deinde imperium accipiente, legatiqué missi Romam pro confirmatione novi Regis.

Floruit in Saxonia & cultus Sanctorum. Nam Anno Domini 836. patronum suscepit S. Vitum è Gallia ad se translatum, à quo multa beneficia & miracula fuit consecuta. Eodem anno S. Liberius translatus Padebornam in Saxonia, & miracula edidit. *Spondan.*

Sed ecce Saxonia illa ultra septingentos annos Catholica turpiter defecit, Luthero errores suos proferente circa Annum Domini 1517. cujus novitatibus mordicus adhæsit, cujus nempe doctrina à commentitiæ & novitiæ fidei amatoribus tanti habita est, ut etiam extra

tra

tra Saxoniam *Joannes Lasco Epist. ad Regem Poloniæ* scripserit, ma e se de Pauli, quàm de Lutheri doctrina dubitare. *Gordonus in opere Chronolog.*

His omnibus Sectariorum regionibus & Civitatibus à primæva fide retrogressis illud inculco: *Attendite ad Petram, de qua excisi estis.* Isai. 51. 1. *Redite prævaricatores ad cor.* Isai. 46. 8.

Germania.

ETsi maximâ suî parte sit Catholica in Imperio, in Belgio; tamen adhuc in plerisque suorum à fide primæva recessit, quam recepit tam pridem, nempe Anno Domini 723. per Bonifacium à Romano Pontifice Gregorio II. consecratum & in Germaniam missum, etsi adhuc antè alii fidem in ea prædicârint, id est, Anno 690. 696. 697.

Sic ergo fidem Catholicam ferè

octin-

octingentis annis retinuit ante Lutherum, ad cujus & aliorum hæresiarcharum vocem alicubi defecit, auctâ insuper Belgii lue (*ut testatur Hieron. Pollinus lib. 3. Hist. Angl. c.* 18.) per exules & profugos Anglos sub Maria Regina Angliæ, quæ dum Angliam ab incipiente hæresi purgaret, pœnè triginta millia Anglorum hæresi infectorum in Belgio sedem fixerunt. Auctum idem in Belgio malum (*ut habet Strada de bello Belg. Dec.* 1. *lib.* 2.) tum à legionibus Helvetiorum & Germanorum, qui sub Carolo V. & Philippo Rege militârunt in Gallia per Rhenum & Mosam fide novitiâ influente; tum à mercatoribus, cum quorum mercibus sæpe advectitia fides navigat.

§(o)§



Hun-

Hungaria.

REgnum illud planè Catholicissimum, fidem recepit Anno Domini 989. à Sancto Adalberto Pragensi, pòst Gnesnensi Archiepiscopo, sub Duce eorum Geisa parente S. Stephani, qui primus titulum & coronam regni accepit à Silvestro II. Papa, ipsamque Hungariam obtulit Sedi Apostolicæ Anno Domini millesimo; in Hungaria Archiepiscopatum Strigoniensem & decem Episcopatus insigni religione & munificentiâ fundavit, Beatissimam Virginem ardentissimè veneratus, in cujus honorem amplissimum templum erexit, & Hungariæ Patronam instituit, cujus etiam in cœlos assumptæ diem Hungari Diem Magnæ Dominæ vocârunt. Sed ecce illud Pomum Aureum non sine Scoria intermistæ hæreticæ novi-

tatis

tatis, quæ post fidem ultra quingentos annos Sacrosanctè retentam serò succesſit. Adhuc inibi (dolendum!) & Arius nidum, & Calvinus regnum habet, & vetus Christi fides à non paucis proſcribitur!

Prusſia.

FIdem Catholicam recepit Anno Domini 1163. ſub Boleslao Criſpo, *teſte Cromero*, etſi idem dicat adhuc ſub Boleslao Crivouſto fidem Pruſſos recepiſſe, & abjeciſſe, quod & poſt Criſpum feciſſe illos memorat *lib.* 6. Sed planè fidem hanc amplexa eſt Anno 1233. *teſte Gordono in opere Chronol.* At circa Annum Domini 1525. Luthero aditus factus in Pruſſiam, quo Anno Georgius Marchio Brandeburgicus Lutheranam Sectam complexus, cum Henrico Duce Legnicenſi etiam Alberto ultimo Prutenicæ militiæ Magiſtro Ordinis

dinis Teutonici perſuaſit, ut Crucigerorum habitu depoſito Lutheraniſmum profeſſus, ex Magiſtro Ordinis Dux profanus Pruſſiæ per Sigiſmundum Regem Poloniæ crearetur. Quod & factum. *De quo vide Fragmentum Bernardi Vapovii in ſine Cromeri ſub hoc Anno.*

Notandum de Gedano, ejusqué à fide defectione ex eodem Bernardo Vapovio paginâ 591. 592. 593. 594.

ANno 1525. Januarii 22. & 23. tumultus Gedani exortus, maximâ parte Civitatis Lutheranam tunc hæreſim ſuſcipiente, Senatu verò Urbano, per biduum populari tumultui ac furori reſiſtente. Lutheranis prævalentibus novus è plebe Senatus lectus eſt, Scriba civitatis Proconſul factus, templa & cœnobia profanata, & ſacrâ ſupellectili ſpo-

liata, sacri calices ad domesticas mensas & profana convivia à Civibus Lutheranis adhibiti, sacra omnia repentè in urbe Catholica ludibrio habita. Literas deinde cives apostatæ ad Sigismundum Regem Poloniæ scribunt de fidei mutatione ac regiminis in civitate, orando ne huic rei contraveniat, cùm nil per hoc Regi pereat de vectigalibus & debita in Principem observantia: Item per Primarios ex novis Urbis Senatoribus viros excusant factum mutatæ religionis; quos Rex dissimulatâ ad tempus irâ Cracoviæ benignè acceptos dimisit. Interim Gedanensis urbis Senatores Catholici à Lutheranis exauctorati Regem adeunt, urbis miserabilem statum deplorant, ad urbem invitant. Rex Anno 1526. ad Lutheranam hæresim abolendam & nefarios homines puniendos abiit. Gedanenses Lutherani

rani

rani secretò consultârunt, essetné Rex in urbem admittendus; sed vicerunt Catholici, mittendum esse ob rationes, quas affert *Vapovius pag.* 594. Decretum ergo de Rege honorificè & pacatè recipiendo; tamen disposita per muros tormenta contra vim & injuriam; Rege omnium non ignaro, nam omnia illi perscribebat Consul Philippus Bissonius Catholicus potens inprimis & opulentus, qui ut furentes in officio contineret, se cum Lutheranis sentire præseferebat. Præmissi à Rege tres ex Proceribus, humanissimè accepti à Civibus. Missi etiam à Civitate legati ad Regem invitandum, inter quos Joannes Szolcius Lutheranæ Sectæ Primarius propugnator; qui à Rege præmonito benignissimè suscepti. Venit deinde Rex Gedanum aliquot suorum millibus comitatus, vidensqué

ſuæ factionis partem eſſe potentiorem, jusſit portas depoſitas urbis iterum reponi, claves portarum ſibi reddi, tormenta in armamentarium convehi; Se pacem illis attuliſſe, nec alium hoſtem timendum dicens. Cùm recuſant id facere, nobilitatis partem accerſit: Venit etiam tunc ad Regem Barvinus Pomeraniæ Dux trecentis armatis equitibus comitatus, item Albertus Dux Prusſiæ. Lutherani interim in protervia perſtant, & ſua exercent. Rex ultra id non ferendum ratus, per Petrum Knyta Mareſchalcum à civibus juramentum de fidelitate Regi & regno, & de obedientia mandatis Regis exigit, jusſis ad dextram ire, qui esſent partium regiarum. Quo facto veterem Senatum Catholicum Rex reſtituit, novum intruſum exauctoravit, ſacra omnia templis & cultum veterem reſtituit, punitis tumultûs illius auctoribus.

Livonia.

CAtholicam religionem recepit Anno Domini 1186. eodemqué anno ſedes Epiſcopalis ibidem erecta ſub patrocinio DEIParæ, populo ad fidem ex gentilitate converſo, operâ & prædicatione S. Meinardi Canonici Sigebergenſis, creati illorum Epiſcopi, & Bertholdi Abbatis Lubecenſis, *teſte Arnoldo l. 7. c. 8. Spondano.*

Iidem Livones ſeſe junxerunt militibus Ordinis Teutonici confirmati à Cœleſtino III. Papa Anno Domini 1198. teſte *Baronio.* Sed tandem Livonia ferme ultra annos trecentos & ſexaginta Catholica, circa Annum Domini 1550. jugum fidei excusſit, Lutherum recepit, Epiſcopis ejectis, religioſis expulſis, reditibus Eccleſiarum ſacrilegè uſurpatis, nova fide receptâ, de qua

non audierunt Patres Livonum. *Scarga in vita S. Catharinæ Vastanensis.*

Sic ergo defecerunt aliquæ particulares Ecclesiæ; & quod illarum est probrum, hoc Romanæ Ecclesiæ Universali præposterè attribuunt. Sed de hac meliùs sentiet, quisquis allata in hoc libro sub titulo Deceptionis decimæ, sanâ mente & affectu ad veritatem indagandam non obliquo attenderit.

EPILOGUS.

EN *Fascinum*, Lector, qui hactenus plurimos impediît, ne viderent veritatem. Sed amotus jam est, & fraus ac impostura hæresiarcharum patet. Qui adhuc in tanta luce Veritatis cœcutit, viderit, ne unus ex illis sit, de quibus Isaiæ 6.10. dicitur: *Exe-*

Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, ut videntes non videant, & audientes non intelligant, ne fortè convertantur, & sanem eos.

A. M. D. G. B. V. J. C. H.

226



ERRATA.

Lit. L. 12. *columna* 2. Hæresin Macedonianam anno 151. *lege* 360. *Lit*. P. 10. *col*. 2. Irrenæus anno 16. *lege* 160.

Q. 2. *col*. 2. Catholicæ Romanam *lege* Catholicam Romanam.

Reliqua leviora, benevolus Lector ipse corrigere dignabitur.



